AVGVSTINI

STEVCHI

PHILIPPICÆ QVATVOR IOHANNIS Cochlei, in Apologiam Philippi Melanchthonis ad CAROLVM V. Imperatorem Romanorum, pium, fœlicem, triumphatorem, semper Augustum.

LIPSIAE.

M. D. XXXIIII.

AD LECTOREM.

NOn quis dicat, sed quid dicatur, attende pie Lector. Neq; inter legendum hic, artem aut ingenium (quæ laudis gratia ostentari solent) obserua, sed ueritatem potius & iustitiam, de his enim non de illis cum Philippo contendo, quas & unice hac in causa præ oculis habendas duco, ne ulla te fallat personarum acceptio, aut fauor humanus, odiumue iniquum. At quatuor tantum Philippicas, quas ante triennium scripsi, nunc edo: multo plures sane editurus, si Deus dederit, ubi Ecclesiæ causa exigere uidebitur. Bene uale, & animam tuam in Ecclesiæ gremio custodi.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO,

Dn. Petro Episcopo Cracouiensi, ac inclyti Regni POLONIAE summo Cancellario, Domino suo Gratioso, Iohannes Cochleus S. D.

REVERENDISSIME IN CHRISTO Pater ac Domine, Ornatissime Præsul, etsi nulla mihi apud Reuerendiss. Dignitatem & Celsitudinem tuam sit meritorum prærogatiua, aut ullius officiosi obsequij commendatio, nec ulla intercedat noticia familiaris, quæ mihi fiduciam præbere possit scribendi citra ruborem ad tantum Præsulem, tantæ autoritatis & eminentiæ uirum: Christiana tamen charitas & urgens conscientiæ meæ sollicitudo, cogunt me hoc periculoso tempore, & ad plærosq; magnos uiros, posthabita uerecundia, scribere, ut à uulpium fraudibus & luporum insidijs, quæ nunc longe lateq; tenduntur, in tempore præmoneantur. Iubet enim lex diuina, ne dissimulem aut negligam, ubi uidero bouem aut ouem fratris mei errantem, etiam si non sit propinquus frater meus nec nouerim eum, illi animal suum reducere, aut si ceciderit in uia, subleuare cum eo. Et quod amplius est, ait in alio loco. Si occurreris boui inimici tui aut asino erranti, reduc ad eum. Si ergo ne bouem quidem aut asinum fratris, etiam ignoti & inimici, negligere, sed reducere aut subleuare debeo, quem aberrasse aut cecidisse uidero, quanto minus dissimulare aut præterire debeo, ubi uidero homines errare aut cadere? Ait enim Apostolus. Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos utiq; hoc dicit? Nam propter nos utiq; scripta sunt. Cum igitur intelligam quosdam Nobiles è Poloniæ regno adolescentes, Vuittenbergæ iam diu audire & Lutherum & Philippum Melanchthonem, publicos & manifestos fidei & religionis Catholicæ hostes & impugnatores, & per hoc aberrare & in damnabilem ac damnatam hæresim cadere eos metuam atq; existimem, urget me per legem diuinam conscientia, ut uobis ouium Christi pastoribus & catholici regni speculatoribus, indicare satagam, quo curetis oues uestras ex tanto periculo reuocare ac domum reducere, quas ego uobis reducere non possum. Quoniam

Deut. 22

Exo. 23.

1. Cor. 9.

uero

uero longa est inter nos terrarum intercapedo uiarumq; distantia, quæ non præbet mihi commoditatem præmonendi uos Dominos Prælatos & Pastores literis priuatis, decreui publicis ista denunciare libellis, qui per Bibliopolas in Regnum uestrum exportari poterunt. Video enim hoc maxime moliri Philippum istum, ut ad externas nationes Lutheri doctrinam quouis modo propaget. Cum autem sciat, Regio apud uos cautum esse Edicto, ne Lutheri libri in Regnum uenales importentur, reperit astuta uulpecula aliam decipiendi uiam, alliciens ad se adolescentes politiorum literarū cupidos, per quos possit externis Regnis Lutheri sui uenena immittere. Quod siquis eorum proditus fuerit, scribet nomine eius Apologiam, qua & illum excusando suis recōciliet, & per eum multos alios in Lutherismum trahat. Nunc enim similem cum Scotis ludum ludit. Etenim nactus è Scotia anno superiore Apostatam unum, mox cœpit sub nomine eius scribere (sicut multis indicijs & argumentis cognoui) ad ipsum Scotorum Regem uirulentam aduersus quoddam Episcoporum decretum Epistolam, quam Apostata ille in occulto per nuncios suos in Scotiam transmittit, ut Regem ac Regni proceres aduersus Episcopos & Monachos concitet odioq; accendat & inflammet, plausibile nactus scribendi argumentum, de Nouo Testamento in lingua uernacula legendo. Quod cum audiat ab Episcopis illius Regni prohibitum esse publico decreto, amarulentis in eos uociferationibus inuehitur, tanquam in lupos, tyrannos, homicidas, & Epicuros, qui uerbum Dei prohibere ausint, ne pij homines domi legant. Quid hac practica effecturus sit, nescio, Vereor certe uehementer, ne per eiusmodi libellos in occulto plurimos Scotorum inficiat, priusquàm Rex & Episcopi sciant, unde ignita illa serpentis iacula tam longe in Regnum suum peruenerint. Audio quidem odiosum ac detestabile esse apud Scotos nomen Lutheri, ac diligenter in omni portu totius Insulæ obseruari, ne qui ex Germania uenenati importentur libri. At dolosa uulpes ista, ab Apostata eius rei admonita, studiose abstinuit per totam Epistolam à nomine Lutheri, simulans se à Lutheri doctrina esse alienum, maxime uero dissimulans, quod Apostata Vuittenbergæ degit, ut eo astu incautos & nihil mali suspicantes facilius decipiat. Vereor itaq;, ne propediem uobiscum similia aut etiam peiora ludat & attentet. Quod & facilius poterit, nisi uos Prælati diligentius aduigilaueritis. Nam multo plures habet secum Polonos quàm Scotos, & Regnum uestrum longe amplius est quàm Insula Scotiæ, nec ita por-

tubus custoditum ac mari circumseptum, neqꝫ etiam tam longe distans à loco insidiarum. Hæc est Reuerendissime Domine Præsul & Cancellarie præcipua causa, cur nunc tam multos & in Lutherum & in Philippum eius emitto in publicum libellos, quod uideo callidi Rhetoris astutia, per blanda uerborum lenocinia & per nequissimas Lutherismi dissimulationes, externis Regnis (quæ hactenus Lutheri dogmata haud secus atqꝫ præsentissimi ueneni aconita diligenter & constanter reiecerunt & euitauerunt) periculosiores ac maiores parari insidias, ad subuertendos in fide populos, quàm unquam antea. Reliquum est igitur, ut suppliciter uos omnes Episcopos & Prælatos catholici Regni Poloniæ oratos habeam, ne fidelem admonitionem hanc meam contemptim reijciatis in uentum, quam mihi sola charitas & legis diuinæ mandatum extorquent, pro qua nihil boni à Lutheranis expectare possum. Forsitan & à Polonis, qui Philippo adhærent, haud unum imminebit mihi periculum, licet in nullius odium, sed longe potius in eorum utilitatem & animarum salutem ista scripserim. Sed consolatur me rectæ & piæ intentionis conscientia. Faciant homines ut uelint, ego quod meum est facio, sciens à Domino nostro Ihesu Christo nobis dictum esse. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Rogo igitur R. D. T. non alia mente ista accipiat quàm ego scripsi. Dominus Ihesus te incolumem ac florentem indiesqꝫ magis ac magis in omnibus bonis proficientem conseruet Ornatissime Pontifex. Ex Dresda Misniæ ad Albim VI. Idus Augusti. Anno Domini. M. D. XXXIIII.

1 Confeſsio Lutherana ſubdole contra Edicti citatorij intentionem ſcripta.
2 Errores Lutheri reticuit callide Philippus.
3 Cæſaris clementia circa eam diſsimulationem.
4 Errores Lutheri XV.contra primum articulum.
5 Errores Philippi IX.contra Nicenam Synodum.
6 Multa in ſcripturis non prodita ab Eccleſia ſunt pie & ſancte recepta.
7 Facilis foret concordia, ſi Lutherani primum & tertium articulos ex animo aſſererent.
8 Curſitatio Philippi Auguſtæ ad Catholicos.
9 Fraudulenta eius petitio ad Card. Legatum ſcripta.
10 Mendacia Philippi de Legato in publicum ſparſa.
11 Fraus Philippi in conficta Cochlei nomine epiſtola.
12 X.reprobi articuli Philippi contra Ro. Pontificem.
13 Diſsimulatio eius de Ro. Pont. in Confeſsione.
14 Fictio eius ad Cæſarem in Confeſſione, & alibi.
15 Philippus aperte ſeditioſus eſt, dum iuxta exemplum Iehu incitat Cæſarem contra Papam & Clerum.
16 Machinatio Philippi periculoſa, ut cadente per fraudes eius Cæſare aut Legato, omnes pariter caderent.
17 Sic Arrius quondam unius presbyteri uafricie ab exilio reuocatus fuit pernicioſiſsime.
18 Edictum Conſtantini quo acerrime prius Arrius condemnatus fuerat.
19 Expoſitio fidei, quam ficte ſcripſit Arrius ad Imperatorem.
20 Fraus Valentis in ſua confeſsione apud Ariminenſe Concilium.
21 Atrociora Lutheri & Phil. quàm Arrij ſcripta cõtra Trinitatem.
22 Quinq; errores Philippi contra Chriſtum in cruce.
23 Phil. per rhetoricã ſuperbus & lubricus eſt ſicut paul9 Samoſaten9
24 Eccleſiæ articulis ſimpliciter ſtandum eſt contra omnes uerborum fucos.
25 Non fidendum Philippo, licet in Confeſ. quædam uera ſcripſerit.
26 Reſponſio Theologorum ad primum articulum Confeſsionis.
27 Reſponſio Thelogorum ad III. articulum Confeſsionis.

ARGVMENTVM Philippicæ II.

1 Calumniæ Philippi in Theologos de peccato originali.
2 Hypocriſis eius, qua fingit ſe ſuoſq; nihil noui & alieni de peccato originali docere.

3 Hæretici deprauant & in peruersum sensum trahunt tum scripturas tum patres.
4 Superba censura Phil. in patres, in Parisien. & in Academias.
5 Philippus nemini parcit, non Christo in cruce, non spiritui sancto, non Concilijs, non scholis &c.
6 Phil. Apologiam sine causa & contra Edictum edidit.
7 Fingunt Luth. & Phil. Recessum contra & citra uoluntatem Cæsaris editum esse.
8 Vulpina fraude laudant Cæsarem.
9 Nec Cæsar ipse negare potest, à Cæsare damnatũ esse Lutherum.
10 Errores Lutheri de peccato originali XXI.
11 Mendacia Philippi Lutherum excusantis.
12 De uaria significatione peccati.
13 Quomodo concupiscentia peccatum est.
14 Argutia Lutheri & Philippi in æquiuoco de peccato.
15 Sententiæ XV. Augustini de concupiscentia.
16 Aug. de concupis. tenet medium inter Manichæos & Pelagianos.
17 Antithesis sententiarũ Aug. & Luth. de concupiscentia.
18 Loci XV. scripturæ de baptismo, quod omnia peccata tollat, non radat.
19 Anabaptistis à Luthero datam esse ansam errandi, dum negat sine fide propria baptizandos esse paruulos.
20 Sententiæ Augustini de aliena fide pro paruulis.
21 Nihil peccatorum remanere post baptismum.
22 Impie defendi à Phil. 21. art. Lutheri de peccato originali positos.
23 Parricidalis immanitas Lutheri contra infantes.
24 Lutherus excitauit Anabaptistas in perniciem paruulorum.
25 Errores Philippi XXVI. de peccato originali.
26 Philippus à Radino & Cochleo reprehensus tacet uelut conscius sibi & errores tacendo agnoscens.
27 Particeps culpæ Phil. quod excitati sunt Anabaptistæ.
28 Sententiæ Philippi longe discordant à patribus.
29 Mendacium Philippi de S. Thoma quasi consentiat ei.
30 Iniuriæ Lutheri & Philippi in S. Thomam.
31 Sententiæ XV. S. Thomæ de peccato originali.
32 Verborum portenta de peccato originali, quid sit diffidere, odisse, blasphemare deum &c.
33 Immane est, talia portenta paruulis ascribere.
34 Anabaptistæ mitiores sunt in paruulos quàm Luth. & Phil.

35 Duplex responsio ad secundũ Confess. articulum, una Imperialis, altera Theologorum.

36 Epilogus.

ARGVMENTVN Philippicæ III.

1 Philippus malæ fidei, defensor estquia aliter ad Imperatorem, aliter ad populum scribit.

2 Augustæ facile concordatum fuit super. 4. 5. & 6. art.

3 Concordia illa à Philippo & socijs eius ficte inita.

4 Blasphemiæ Lutheri in Epistolam S. Iacobi.

5 Initium huius controuersiæ sumit Philippus à calumnijs.

6 Hæc de sola fide controuersia maximi est momenti.

7 Philippus hic non modo Theologos sed & Cæsarem, & totum Imperium reprehendit, dum solam fidem defendit.

8 Minacissima uerba Luth. de sola fide, contra omnes.

9 Atrox calumnia Phil. in Theologos, quos ait trucidare sacerdotes & sanguine scribere leges.

10 Responsio Theologorum Augustæ ad 4. art. data.

11 Rhetorica Phil. huius schismatis in Imperio pręcipua causa est.

12 Christo & gratiæ dei omnia bona opera nostra adscribenda sunt.

13 Theologi scripturis coguntur de sola fide contradicere Luthero.

14 Phil. attritæ frontis est, dum sic mentitur ad Cæsarem.

15 Calumniæ Phil. XX. in Theologos, & breuis ad eas responsio.

16 Ars calumniandi & superba in eos censura Philippi.

17 Maledicta & calumniæ eius in Parisienses.

18 Errores de sola fide, Lutheri XX. & totidem Philippi.

19 Christus & aposti de pœnitentia cœperunt prædicare, Lutherus de sola fide.

20 Quanta barbaries Lutheri in sermonibus contra bona opora.

21 In Visitatione Saxonica Lutherus & Philippus non de sola fide, sed etiam de pœnitentia prædicandum censuerunt.

22 Philippus in Apologia subdole tacet opera pœnitentiæ.

23 Christus & Paulus de pœnitentia contrarij sunt Luth. & Phil.

24 Duplex iustificatio, una per baptismum, altera per pœnitentiam.

25 Dicta prophetaꝝ & apostoloꝝ de operib. pœnitẽtiæ cõtra Phil.

26 Luth. & Phil. dicunt populo placentia, quia amara est pœnitẽtia.

27 Multa commemorat Paulus quibus iustificemur, non sola fide.

28 Iustificant etiam spes & charitas, ut patet ex Paulo.

29 Iustificari gratis, sicut non excludit fidem, ita nec spem nec charitatem, quia hæc omnia gratis accepimus.

30 Iustificans fides dilectionem & opera non excludit.
31 Ridicula Phil. expositio Gratis, id est, sola fide.
32 Duplex crimen falsi per Phil. & Luth. in textu Pauli.
33 Falsa excusatio Philippi, dum ait, per solam fidem non excludi sacramenta.
34 Ad iustificationem impij multa donantur à deo.
35 Propositio simpliciter falsa, sola fides iustificat.
36 Quæcunq; à Philippo excogitetur fides, tamen sine charitate nihil proderit, quia Paulus ait, si habeam omnem fidem &c.
37 Inane de noua fide commentum Philippi.
38 Paruuli iustificantur baptismo, & tamen de fide Philippi in promissiones nihil sciunt neq; interrogantur de ea.
39 Meretrix baptizata olim, non sola fide iustificatur, sed indiget etiam operibus pœnitentiæ.
40 Philippica fides sæpe regeneratur, quod est contra scripturam.
41 Atrox & ea gemina in S. Hieronymum calumnia Philippi.
42 Cypriano & Hiero. plus credendum quàm Phil. temere certificanti peccatorem de remissione peccatorum per fidem.
43 Multi scripturæ loci, quod homo de salute & gratia certus non sit.
44 Phil. tot scripturis contrarius, certificat per solam fidem.
45 Maximæ in Christū & Euang. cōtumeliæ Philippi per solā fidem.
46 Certa quidem est dei promissio, sed incertum est, an nos ea promissione digni simus, quia peccata indignos reddunt.
47 Verbositas Philippi in sua responsione ad dictum Pauli. 1. Cor. 13. Si habuero omnem fidem &c.
48 Charitas nō sequitur sed simul cum fide & spe infunditur à deo.
49 Renouatio hominis non fit per solam fidem.
50 Vana somnia Philippi de Corinthijs & de modo iustificandi, ad eludendam Pauli sententiam, si habuero omnem fidem.
51 Manifestum mendacium Philippi, dum ait, Theologos unum illum locum citasse.
52 Confusio Lutherica de operibus legis uet. & no.
53 Nec sola fides nec sola charitas iustificat.
54 Verbositas Phil. dimittenda, ne Cæsari tædium pariat.
55 Sola fide excluditur Christus & Euangelium.
56 De bonis operibus loci ex sermone domini XX.
57 Loci Lutheri XX. contra bona opera.
58 Similes Philippi contra bona opera sententiæ.
59 Sententiæ Christi & Luth. ac Phil. contrariæ de operibus.

60 Lutherus sibiipsi contrarius de sola fide & operibus.

61 Lutherus in Christum blasphemus, dum ait, bona opera esse peccata, quia ea operatur Christus in nobis.

62 Amarissimi fructus nouæ de sola fide doctrinæ.

63 Philippus retractat quædam, sed in hypocrisi & ficte.

64 Philippus fatetur premia & mercedem bonis operibus deberi.

65 Bona opera sunt digna uita æterna per gratiam.

66 Facile fieret concordia, si modo una hæc uox sola omitteretur circa fidem.

67 Testimonia B. Augustini. xxiiij. contra solam fidem pro gratia & charitate.

68 Magna charitatis præconia ex Ser. Aug. de laudibus charitatis.

69 S. Thomæ sententiæ xxiiij. de iustificatione impij.

70 Laudes charitatis ex S. Tho. à quo & lex ignea dicitur.

71 Sancti patres longe præferendi sunt Philippo, quem Lutherus omnibus præfert ut sit Paulo proximus.

72 Phil. multis modis constringitur, ut elabi non posit.

ARGVMENTVM Philippicæ IIII.

1 Quàm benigne à Catholicis responsum & actum sit Augustæ super Confess. Luth.

2 Error Vualdensiũ, Dulcinistarum, Vuiclephistarum &c. de Ecclesia.

3 Quàm amarulentus conuitiator sit Philippus.

4 Philippus criminis læsæ Maiestatis reus.

5 Error Hussitarum Constantiæ damnatus.

6 Idẽ antea damnatus fuit in Fraticellis, in Leonistis, in Donatistis.

7 Reprobatio Donatistarum ex Aug. super Psal. 10. & 85.

8 Similes Donatistis Lutherani, qui propter Lutherum in Ecclesia & in Imperio schisma excitant.

9 In multis excelluerũt Donatistæ Lutheranos, pręsertim in quinque rebus.

10 Donatistis multo deteriores esse Lutheranos.

11 Errores. 15. Philippi de sacramento baptismi.

12 Luth. & Phil. rebaptizãt sępius quàm Donatistę & Anabaptistę.

13 Maximi & innumeri errores Lutheri ultra omnes omnium ætatum hæreticos.

14 Damnatio Lutheri à Cæsare & cũctis Imperij principibus Vuormaciæ & Augustæ facta.

15 Doctrina Lutheri longe acrius damnata est à Regibus & principibus quàm Augustæ à Theologis.

16 Atroces & impiæ Lutheri iniuriæ in Ecclesiã & omnem statum.

17 Lutherani multo deteriores schismatici sunt q̃ Donatistæ fuerũt.
18 Vane contendit Phil. quia nostræ reipsa consentit sententiæ.
19 Ecclesia recte dicitur sancta, licet in ea bonis admixti sint mali.
20 Sic & gens sancta dicit̃ in uet. & no. test. licet in ea multi sint mali.
21 Sancti etiam dicuntur Episcopi & presbyteri ab officij dignitate.
22 Nemo hic pure sanctus & sine omni peccato.
23 Ecclesia etiam dicitur corpus, regnum & hæreditas Christi, non obstantibus in ea malis.
24 Luth. pharisaice alijs meliores se reputãt, pręsertim q̃ papistæ sint.
25 Ecclesiam Lutherani apud se, non apud Papistas esse contendũt.
26 Reprobatio huius præsumptionis ex Tertulliano, quia hæretici aliena inuadunt.
27 Oẽs hęretici de Euan. se iactitãt, sed euanescũt in uanitatibus suis.
28 Nullũ ius successionis est Luth. ad Ecclesiã & hæreditatẽ Christi.
29 Papa uero habet legitimũ ius & successionẽ certã ad sedem Petri.
30 Papæ regimen successionis certitudine omne regimen superat in terris.
31 Sedes Petri incorrupta & diuinitus fundata, iã cunctis est stabilior.
32 Ro. ecclesiam à Deo fundatam testatur B. Anacletus.
33 Ro. ecclesiam omnibus præferendam dicunt Ignatius & Irenæus.
34 S. Augustinus certissimum affirmat ordinem episcoporum in Ro. ecclesia ab ipso Petro.
35 Minime igitur decet à Ro. ecclesia ad Lutheri sectam deficere.
36 A Ro. ecclesia nequaq̃ discedendũ esse affirmauit Lutherus ipse.
37 In Ro. ecclesia esse omne bonum Christianum & ueram Christianitatem testatur Lutherus.
38 Damnatio Lutheranæ sectæ ex ore ipsius Lutheri.
39 Damnatio Lutheri ex ore eius proprio.
40 Phil. Augustæ confusus ac redargutus proprijs uerbis Lutheri.
41 Damnatio omnium schismaticorum ex B. Cypriano.
42 Descriptio Lutheranorum ex eodem.
43 Descriptio Lutheri ex eodem.
44 Malignitas Phil. in Apologia dũ citat autores & gręca interserit.
45 Hieronymus aliter loquitur de militante aliter de triumphante Ecclesia.
46 Arca Noæ typus fuit Ecclesiæ.
47 Triticum & zizania in eodem agro.
48 Sententia Hieronymi contra hæreticos pro Ecclesia.
49 Ro. ecclesia tenacior ueritatis est quàm Orientis Ecclesiæ.

Confiteor tibi Domine cœli & terræ, Rex regum Ihesu Christe, uere Deus creator & redemptor meus, quoniã fidem Ecclesiæ sanctæ Catholicæ, quam infans per patrinum in baptismo professus sum, tua assistente gratia, in mortem usq; non negabo, neq; aliam unquam acceptabo, etiam si totus mundus post Lutherum, post Zunglium, post Anabaptistas, aut post quaslibet sectas nouas curreret, & ab antiqua Ecclesiæ fide totus (quod absit) deficeret. Quia multo plures sunt filij Ecclesiæ iam triumphantis tecum in cœlo, quàm sint hodie filij Ecclesiæ militantis in terra. In ea igitur fide, in qua tui Apostoli, tot centena Milia Martyrum et Confessorum, tot Millena Examina Monachorum & sacrarum uirginum, tam immensa coniugum uiduarumq; sanctarum & infantulorum multitudo, hactenus per M.D. annos saluati sunt, me quoq; saluatum iri spero, non sane ex meritis meis, quæ sine gratia tua nihil omnino sunt, sed ex gratia & misericordia tua, per quam iustificasti me primum in baptismo. Deinde miserum me nimisq; ingratum in te atq; in peccata lapsum & relapsum, misericordißime releuasti, & per uenerabile sacramentum pœnitentiæ iterum iterumq; iustificasti. Vt igitur conserues me pœnitentem à malo per gratiam tuam, ne relabar, per mortem & resurrectionem tuam te precor. Non.n. Pelagianus sum, ut confidam stulte & impie in brachio carnis, quasi sine gratia & ope tua poßim purus & ab omni peccato immunis uiuere super terram in corruptibili carne, nec Manichæus ut credam à malo principio, & non à te Deo Opt. Max. creatam esse carnem. Multo minus ausim esse Lutheranus, ne tua in iustis tuis opera bona propter carnẽ blaspheme peccata dicam, neue sanctorũ tuorum gloriosa merita perfide contra tot scripturas tuas negem, ne item stulta præsumptione cõfidam me sola fide iustificari, sine gratiæ & charitatis dono tuo, sine sacramento pœnitentiæ, sine merito et uirtute paßionis tuæ. Breuiter ex te uno & in te uno est salus mea tota. In te Domine spero, in te credo, te unum super omnia diligo, non mea quidem uirtute, sed dono gratiæ tuæ. Hæc enim mihi per gratiam tuam uoluntas est, ut ubi uolueris, animam meam pro te ponam, & non modo pro te, & pro nomine sancto tuo, sed etiam pro honore tuo Genitricis, omniumq; sanctorum tuorum, & pro fide Catholicæ tuæ Ecclesiæ. Siue igitur superueniat Turcarum exercitus, siue hæreticorum armata manus, per omnia tormentorum genera interfici ac discerpi mallem q̃ unum iota de Ecclesiæ tuæ fide sciens prudensq; uel adimere uel abnegare. Tantum abest, ut Lutheranorum cõtumeliosa in me scripta aut facta, debeant me ab ista fide ulla ui aut ullo mortis aut iniuriarum terrore dimouere, si modo tu hanc mihi fidem misericorditer per gratiam tuam confirmaueris, ut dicam finaliter, In te domine speraui, non confundar in æternum, Qui es Deus benedictus in secula seculorum

AMEN.

PHILIPPICA PRI-
MA IOHANNIS COCHLEI IN APOLO-
giam Philippi Melanchthonis, de primo & tertio Arti-
culis Lutheranæ Confessionis Augustæ admissis.

MEMOREM TE ARBITROR, INuictissime Imperator CAROLE Auguste, uerborum tuorum, quibus usus fuisti in Edicto citatorio, quo ad Comitia Augustana conuocauit sacratissima Maiestas tua uniuersos sacri Ro. Imperij Principes & Status anno superiore, Nempe, ut in ijs præcipue ageretur de tollenda illa discordia, quæ apud nos Germanos in fide & religione nostra (proh dolor) oborta est. Ea enim uerba non semel repetita deinde sunt à M. T. in generali Comitiorum conclusione, quam Recessum uulgo dicimus.

Philippus uero Melanchthon, Lutheranæ sectæ Antesignanus, 1
ut uulpina uafricie M. tuæ imponeret, conscripsit quandam fidei suæ Confessionem, in qua errores & praua dogmata sectæ suæ, in quibus maxime à Catholicis omnibus discordat, ita callide uel dissimulauit subticendo, uel pietatis specie colorauit, ut bona pars auditorum, dum
publice recitaretur illa Confessio, existimaret, non admodum iuste 2
damnatam fuisse Lutheri doctrinam, tum à M. T. Vuormaciæ, tum â Sede Apostolica Romæ. Scit enim uulpecula ista præ omnibus Lutheranis egregie & simulare pietatem, & lingua sua dolose agere, atq;
in hypocrisi mendacium (ut ait Apostolus) loqui. Vnde factum est, ut 1. Thm. 4.
eius & lingua & calamo, uelut idoneo quodam ad decipiendum or-
gano, serpens ille antiquus, qui mendax est & pater eius (uti Christus Ioh. 8.
Deus & Dominus noster ait) præ omnibus libenter utatur in dolo, ad excitandas turbationes & dissensiones hominum in fide & religione publica. Nouit enim ingeniosus Rhetor iste, tum odiosis ueterum hæreticorum erroribus (quos hæc secta ex fauilla resuscitat) callidæ commendationis fucum oblinere, partim ex scripturæ sacræ locis improbe detortis, partim ex Rhetoricæ artis persuasionibus: Tum aduersarios, sectę suæ contradicentes, acri perstringere scommate aliquo, festiuis irridere dicterijs, coloratis pręgrauare mendacijs, cauillis & lædorijs contemptibiles atq; odiosos reddere, calumnijs deniq; amarulentis inuidiose ad

A

diose ad populum traducere, uelut impios & ineptos, & his artibus quaslibet hæreses indocto ac mobili uulgo persuadere.

Vt igitur commendabilior tum M. tuæ, tum reliquis Principibus proceribusq; ac statibus Imperij fieret sua Confessio, admiscuit nonnullos articulos, quibus Catholicorum nemo unquam contradixit, eosq; mox primo loco recitari curauit, ut per eos captata beneuolentia, auditorum animi ad cætera, quæ sequuntur, redderentur æquiores minusq; suspiciosi. In primo igitur præclaræ illius Confessionis suæ articulo sic ait. Ecclesiæ magno consensu apud nos docent, Decretum Nicenæ Synodi, de unitate essentiæ diuinæ, & de tribus personis, uerum, & sine ulla dubitatione credendum esse &c. Post pulchram huius articuli (in quo nullos unquam è Catholicis aduersarios habuit) declarationem, ut per omnia purus ac syncerus in fide Catholica uideatur, damnat omnes hæreses contra hunc articulum exortas, utpote Manichæos, Valentinianos, Arrianos, Eunomianos, Machometistas, & omnes horum similes. Atq; ut adhuc maiori cum gratia habeatur sibi fides, damnat & Samosatenos, ueteres ac Neotericos, qui de Verbo & Spiritu sancto astute & impie rhetoricantur, quod non sint personæ distinctæ.

De hoc articulo, ait deinceps in Apologia sua, quod probauerint eum aduersarij sui, quos fingit esse Theologos quosdam priuatim, quasi cæteri Catholici sectæ suæ non aduersentur, quum uulgo constet omnibus, Lutheranam sectam iam olim damnatam esse, non priuatim solum à quibusdam (ut uideri uult Philippus) Theologis, quos scholasticos contemptim uocat & sophistas, uerum etiam autoritate publica, non modo summi Pontificis (quæ uel sola sufficeret) uerum etiam sacratiss. M. T. omniumq; Principum & statuum sacri Ro. Imperij in Edicto Vuormaciensi, quod & nuper in Augustanis Comitijs repetitum ac per omnia ualidum executioniq; demandandum M. T. simul cum omnibus Imperij Ordinibus, qui M. T. circa religionem rebelles non sunt, recognouerunt. Et post summos istos utriusq; Potestatis in ecclesia Dei uertices, aduersantur aliæ quoq; Nationes potentissima Regna, latissimæ prouinciæ, clarissimæ Vniuersitates, è quibus Parisiensis ab ipsomet Luthero iam olim fuerat in iudicem causæ suæ delecta Lipsiæ. Philippus tamen serpentino astu hæc omnia dissimulans, paucos duntaxat Theologos, qui Augustæ in Comitijs fuere, sibi aduersarios fingit, ut populus inde cogitet, maiorem partem Christiani orbis sectæ Lutheranæ non aduersari, sed consentire magis, & applaudere.

Sed & aliam nequitiæ machinationem callidus hinc elicit serpens, nempe ut populus libertate Lutherana inescatus non solum irascatur paucis istis Theologis, qui Augustæ Confessionem Lutheranorum non approbauerunt, uerum etiam obloquatur & Sedi Apostolicæ & M. T. quod ante decennium Lutheri doctrinam publice damnauerint, antequàm fuerit audita aut rite (uti falso queritantur) examinata, ut odio inde in superiores cōcepto, plebs eo facilius queat in seditionem concitari contra utranque potestatem.

At meminisse poterit, Imperator Auguste, M. T. sacratissima, Theologos illos, quos aduersarios uocat Philippus, hanc fraudulentam hypocrisin mox in primo articulo detexisse, atque locos aliquot ex libris Lutheranorum longe contrarios ei articulo produxisse, quibus mendacij argueretur serpentina ista dissimulatio. Verum simulata eorum humilitas, & fictum pacis desyderiū, egregie imposuerunt M. T. ut iusseris contraria eorum scripta reticeri, ne in conspectu omnium Imperij Ordinum, rubore confusi Lutherani Principes, & in faciem publice redarguti, magis exasperari, quàm benigne ad pacem & reditum inuitari uiderentur. Egregia quidem erat illa Clementiæ tuæ bonitas, sed rerum euentu compertum nunc habemus, eam in ingratos (ne quid durius dicam) collatam fuisse. Tantum enim abest, per eam Clementiæ tuæ bonitatem eos ad agnoscendos Lutheri sui errores adduci, ut longe magis inde indurati, ferociotesque ac magis inobedientes fiant, quippe ab hoc Philippo & Luthero eius persuasi, Theologorum confutationem adeo uanam & absurdam esse, ut nihil habeat, quod ipsorum Confessioni recte opponi queat.

Ne igitur frustra insultent nobis incircumcisi Philistæi isti Lutherus & Philippus, qui confutationem Theologicam, iussu M. tuæ mitiorem breuioremque à nobis factam, noctuam uocant & uespertilionem, operæ sane precium uidetur plærisque, ut detecta fraudulentæ Confessionis hypocrisi, errores eorum, quos alibi in uulgus nouarum rerum cupidum disseminauerunt, recenseantur, ut inde intelligat M.T. totusque orbis Christianus, nihil esse hac uulpe fraudulentius, nihil hoc hypocrita simulatius, nihil hoc calumniatore impudentius, qui aliud loquitur, aliud cogitat, aliud exhibet Cęsari & Principibus, aliud uulgo suisque complicibus, alijs denique falso imputat, quod ipse met perpetrauit.

Ait itaque in Confessione sua Philippus iste, Decretum Nicenæ Synodi uerum & sine ulla dubitatione credendum esse. At subticet,

quid ipsemet alibi, quid multis in libris aliter scripserit suus Lutherus. Ne uero prolixior, quàm par est, fiat hęc nostra Oratio, capita duntaxat errorum, circa hunc articulum, quos alibi scripserunt, absq; speciali singulorum reprobatione, breuiter commemoranda proponam. Ex quibus profecto facile intelliget M.T. non eos modo Theologos qui Augustæ adfuerunt, sed omnes omnino omnium Academiarum ueræ Theologiæ Doctores huic sectæ, uelut generali omnium fere impietatum Lernæ, iustissime aduersari.

4 Recita igitur Scriba dicta eorum quæ alibi contra hunc primum articulum euulgauerunt.

SCRIBA. Errores Lutheri de Concilijs.

De abroganda Missa. I Quod in scripturis non habetur, hoc plane Satanæ additamentum est.

In Euang. Attendite à pseudoprophetis. II Quod è scripturis autoritatem non habet, manifestissimum est ex Diabolo esse.

III Hoc Euangelium subuertit funditus ac radicitus Papatum & omnia Concilia.

IIII Non tenemur seruare quod Papa præcipit & homines constituunt.

V Quia dicit, Cauete à falsis, Ideo oportet Euangelium mentiri, aut Papam unà cum Concilijs.

VI Ideo res insana est, quod Concilia concludere & statuere uolunt, quid credendum sit, quum sæpenumero nemo adsit, qui diuinum spiritum uel tantillum gustarit. Quemadmodum in Concilio Niceno usu uenit.

VII Hæc miseria & calamitas interna cordis, primo statim Christianismi tempore cœpit, quod Papæ & Concilijs sit habenda fides.

VIII Vbi dixeris. Homo hoc protulit, aut Concilia hoc decreuerunt, super arenam ædificasti.

IX In Synodo Nicena fides & Euangelium defecerunt, & inualuerunt traditiones hominum.

In Latomum. X Si Concilium sine scriptura ualet, & satis est, infulatos & rasos illic congregari, Cur non lignea & lapidea signa è templis congregamus, & impositis mitris & Infulis dicamus illic Concilium esse generale?

XI Nonne uitiosissimum est, Concilium sine uerbo Dei agere aut statuere?

Nec est

XII Nec est, quod mihi Homousion illud obiectes, aduersus Arrianos receptum, Non fuit receptum à multis ijsq; præclarissimis, quod & Hieronymus optauit aboleri.

XIII Adeoq; non effugerunt periculum hoc inuento uocabulo, ut Hieronymus queratur nescire, quid ueneni lateat in syllabis & literis.

XIIII Quod si odit anima mea uocem Homousion, & nolim ea uti, non ero hæreticus. Quis enim me coget uti?

XV Etsi Arriani male senserunt in fide, hoc tamen optime, siue malo siue bono animo, exegerunt, ne uocem prophanam & nouam in regulis fidei statuere liceret.

ERRORES Philippi de synodo Nicena.

I De fide non habent ius neq; Pontifices neq; Concilia, neq; uniuersa Ecclesia quicquam mutandi aut statuendi. *In Locis communibus.*

II Nec habendum est pro articulo fidei, quod citra scripturam proditum est.

III Quod præter scripturas proditur, ambiguum est, utrum à spiritu Dei an à spiritu mendaci proficiscatur.

IIII Temere tribuitur Concilijs autoritas condendi articulos fidei, uel hoc nomine, quod fieri potest, ut in toto senatu Concilij nemo sit qui spiritum Dei habeat.

V Quæso te, Cur Nicenæ synodo potius quàm Ariminensi credis? Num quia eam Ro. Pontificis comprobauit autoritas? At hac ratione Pontificis autoritatem & Concilio & scripturæ præfers, Quod non modo impium, sed & stultum est.

VI In synodo Nicena constitutæ sunt quædam pœnitentiæ formæ, non pronuncio, quo spiritu decreuerint patres, At uideo, bonam Euangelij partem, immo uim germanam Euangelij, obscuratam esse ea traditione.

VII Obscurata gratia est, & quod Euangelium fidei tribuit, cœptum est satisfactionibus tribui. Quo quid est & impium magis & perniciosius? Et his malis certe occasionem dedit Nicena synodus.

VIII Deinde quibusdam uiuendi generibus addita est intolerabilis sarcina Cœlibatus, actumq; de Cœlibatu est etiam in Nicena synodo. Quid autem per eam traditionem profectum sit, nihil attinet referre, quando non alio consilio uulgari libidinis indulgentius potuere.

IX Vides in his exemplis, nullam fuisse tam piam traditionem in speciem, quæ non magno malo fuerit rei Christianæ.

Hæc è multis pauca, exempli gratia, recitata sint, E quibus M.T. Princeps Auguste facile perspicit. quàm longe diuersa atq; etiam contraria sint hæc ab ijs, quæ in primo Confessionis suæ articulo hypocritica fictione posuit Philippus. Si enim nulla sit autoritas Concilijs de fide quicquam statuendi, ut asserunt isti ambo, Cur obsecro futurum Concilium etiam in sua Confessione appellant? Si Satanæ additamentum sit, quod in scripturis non habetur, ut ait Lutherus, Nec pro articulo fidei habendum sit, quod citra scripturam proditum est, ut ait Philippus, Necessario certe hinc sequeretur, non esse fidei articulum, quod sint tres personæ & una essentia diuina. In scripturis enim nusquam habetur his uerbis proditum, tres esse personas aut Trinitatem personarum in una essentia: Quinimmo sequeretur, hæc sacra uocabula, tres personæ, tres hypostases, una essentia, trinitas &c. prorsus reijcienda esse, uelut Satanæ additamenta, quia in scripturis non habentur. Quemadmodum de Homousio Lutherus ipse tam scelerate quàm perfide sentit ac docet. Quid igitur fingunt hic coram M. tua se probare Nicenam synodum, de qua alibi non minus iniuriose quàm impie & sentiunt & scribunt? Quandoquidem Lutherus affirmat in ea & fidem & Euangelium defecisse, & male receptam fuisse prophanam (si ei creditur) hanc uocem Homousion, cui iuste contradixerint Arriani. Et Philippus asserit, in ea obscuratam esse bonam partem, immo uim germanam Euangelij, obscuratam gratiam, multisq; malis datam fuisse occasionem, maxime uulgandis per Celibatus constitutionem libidinibus. Minime igitur egerunt in Confessione sua Lutherani isti uel probe uel uere uel iuxta M. tuæ Edictum citatorium. Maiestas nanq; tua præceperat, uti conuenirent Augustam ad tollendas in fide discordias, illi autem, dissimulatis plærisq; suis impietatibus & erroribus, quibus perquàm maxime ab uniuersa Ecclesia Dei discordant, ea M. T. in articulo suo proposuerunt, in quibus Christianorum neminem habent aduersarium aut discordantem, pręterquàm seipsos & plærosq; antiquitus damnatos hæreticos, qui uocabulo tantum Christiani erant.

Si ergo uere simpliciterq; & absq; fraude & hypocrisi, credunt Trinitatem personarum cum Latinis, & tres Hypostases cum Græcis, eamq; Trinitatem Homousian, hoc est, unius eiusdemq; substantiæ tres personas, corrigunt impios errores suos, complurimos, quos

ex uno

ex uno hoc & fallaci & falso fundamento deducunt, nempe, quod nihil recipiendum sit, nisi quod habetur in scripturis expressum. Nam neque Trinitas neque tres personæ aut tres hypostases, neque Homousion aut consubstantiale, neque essentia aut Vsia, neque ingenitum, neque coæquale, neque ab utroque procedens, habetur in scripturis. Quod si ista nobiscum credunt, credant eadem ratione & alia quàmplurima, quæ sancti patres in Concilijs & pia mater Ecclesia Catholica uel in laudem & cultum Dei instituerunt, uel contra hæreticorum importunitates constituerunt, licet in scripturis non habeantur expressa, Qualia sunt receptissima uerba ista, duæ naturæ Christi in una persona, Maria Dei genitrix & perpetua uirgo. Receptissima item Ecclesiæ instituta, Obseruatio festorum, Quadragesima, Vigiliæ & certa ieiunia per circulum anni, sacrorum ordinum gradus & officia, uasa & uestimenta sacra &c. Impia sunt igitur & falsa, quæcunque Lutherus & Philippus complicesque & degeneres filij eorum dicunt aut scribunt, ex falso fundamento isto (quod nihil recipiendum sit nisi quod in scripturis proditum est) per quod sane non minus furiose quàm inique & impie debacchantur in Ro. Pontificem, in Episcopos & presbyteros, in omnem Clerum, in septem sacramenta, in sacrificium missæ, in festa & ieiunia, breuiter in omnes ceremonias nostras, quas per traditiones Patrum & Conciliorum, non in scripturis expressas habemus. Nam si hæc omnia reijcienda essent(ut ipsi contendunt) eo quod in scripturis prodita non sunt, eadem profecto ratione reijcienda essent(ut dixi)& ista, receptissima alioqui & sacratissima uocabula, Trinitas, tres personæ, Homousion, Theotocos &c. Nam & ista in scripturis nusquam habentur prodita seu expressa.

Vides ergo, Imp. Auguste, quàm friuolo & falso nitatur fundamento tota pene Lutheranorum Tragœdia, eo scilicet, quod nihil recipiendum sit nisi quod habetur in scripturis proditum. Si enim arenosum & aquosum sit (ut est) hoc fundamentum eorum, mox sane corruit omnis impietatum structura, haud secus atque turris Babel, quam Gigantice contra Deum super illud ædificauerunt. Qua enim ratione & autoritate nobiscum concordantes recipiunt Trinitatem personarum, Homousion, Theotocon, uirginitatem Mariæ perpetuam ante & post partũ &c. eadem sane ratione & autoritate, cogentur ista sua confessione, nobiscum concorditer & alia omnia, quęcunque per Ecclesiam, citra scripturæ determinationem, per spiritus sancti instinctum & suggestionem instituta aut definita sunt, recipere, si modo

uere &

uere & ex animo, non ficte aut ex hypocrisi, Confeßionem suam M. tuæ exhibitam uelint. Si enim acquicuerint nobiscum autoritati Ecclesiæ (ut debent) in reliquis quæ in scripturis non habentur expressa, sicut acquiescunt aut saltem acquiescere se fingunt in ijs, quæ primo & tertio articulo Confeßionis suæ commemorant, nihil profecto reliquum erit, in quo à Catholicis (qui sanctam matrem Ecclesiam deuote ac obedienter iuxta Christi præceptum audiunt in omnibus, sicut bonos decet filios) discordent. Aut igitur uel sero concordent nobiscum in omnibus, quæ uel præcipit uel prohibet sancta mater Ecclesia, aut fateantur se non modo rebelles esse filios Ecclesiæ, uerum etiam sceleratos & impios hypocritas, qui nequißima fictione & M. tuam & omnes Ro. Imperij Ordines, tot mensibus Augustæ frustra delassare & uexare ueriti non fuerint.

Matth. 18.

8 Inprimis uero agnoscat hic turpitudinem hypocrisinq; & nequitiam suam Philippus, qui Augustæ non solum publice simulabat se pacis & concordiæ amantem & auidum, uerum etiam priuatim cursitabat hinc inde, perreptans ac penetrans non modo priuatorum domos & diuersoria, uerum etiam Cardinalium aliorumq; Principum aulas atq; adeo & M. T. Curiam, insidioso nimirum circuitu quærens, quem hypocrisi sua deuoraret, Et fefellit profecto non paucos blanditijs deprecationibusq; simulatis, dum paßim in conuiuijs & colloquijs facillime pacem Ecclesiæ recuperari posse affirmaret, si modo suis permitterentur hæc tria duntaxat, Populo inquam utraq; species sacramenti, sacerdotibus coniugium, & missæ usus & communicatio. In cæteris omnibus fore suos Episcopis & Prælatis per omnia subditos dictoq; audientes. Operæprecium sane fuerit, paucula hic repetere ex ijs, quæ ille Reuerendißimo Patri, Cardinali Campegio, Sedis Apostolicæ Legato, uiro summæ & pietatis & eruditionis, manu propria scripsit ac tradidit, & postquam ea traderet, precibus multis ac lachrymis eum in secreto pertentauit, ut uel inde intelligat M. T. quàm improba fuerit huius uulpeculæ hypocrisis.

Recita.

9 SCRIBA. Verba Philippi ad Card. Campegium.

I Romana Ecclesia nihil faceret alienum sua clementia, si permitteret nobis uti utraq; specie sacramenti, præsertim cum non damnemus alios, & fateamur in specie panis uerum corpus Christi contineri, & per concomitantiam sanguinem, adeoq; integrum Christum, in specie uini itidem integrũ Christum. Et post pauca. Cum

II Cum presbyteri plerunq; cum offensione populi & contra Canones, habeant male moratas concubinas, dignum & hoc esset clementia pontificia, concedere eis honestas & legitimas coniuges.

III Si quis hic disputet, quid de digamis faciendum sit, id potest iuxta Canones constitui, postquàm Episcopi recuperauerint obedientiam. Et infra.

IIII De missa retinemus publicas ceremonias, tantum numerus non est par. Si cætera impetrari poterunt, non diffido, quin etiam controuersiæ de missa componi possint. Certe prodest ecclesiæ, ut hæc ceremonia religiose fiat, & fit apud nos religiosissime.

V De cibis & similibus rebus leues sunt controuersiæ. Cum contigerint rursus Episcopis obedientia & Iurisdictio Ecclesiastica, plurima alia quoq; constitui poterunt.

VI Nec grauantur nostri parere Episcopis, modo recipiant eos.

VII R. D. V. sine magno negocio poterit constituere concordiam & pacem, his tam paucis rebus uel dissimulatis uel relaxatis. Christus pacificos ait beatos esse & uocat filios Dei. Hunc titulum, hanc laudem uere dignam ista uestra & autoritate & uirtute consequi in hac causa facillime potest R. D. V. Ideo oro eam propter Deum, ut in his rebus aliquid de summo iure remittat, & mitiget Canones, qui & ipsi sæpe fatentur, se temporibus cedere.

Hæc ad Card. Campegium Philippus.

Ex quibus plane intelligit Augustissima tua Imperator Maiestas, hominem istum blandiloquentia hypocrisiq; sua uulpina improbius egisse Augustæ in Comitijs, quàm apertis conuitijs & amarulentijs egit procul delitescens & absens Lutherus. Hic enim consueto more conuitiabatur, plebisq; odium in Clerum excitabat, instar Leonis rugientis ferociens. Ille uero instar Draconis insidiantis fraudes intendens, non plebem, sed magnates hypocrisi sua circumuenire satagebat. De quo sane quidam, ut erat uir doctus ac perspicacis iudicij, dicebat, Quo gratiosior est apud eruditos Luthero Philippus, quo modestior in docendo, hoc grauius lædit Ecclesiæ causam. Cumq; nos aliquando quereremur Augustæ super uiolentis & seditiosis libris Lutheri, quos unum post alium mittebat illuc, eo quoq; tempore, quo nobis non parua erat spes tollendæ discordiæ, Philippus blandius re-

ſpondebat, non attendendum eſſe quid Lutherus ſcriberet, ſed quid Principes Lutherani Cæſari proponerent, quid facere, quid acceptare, quid agnoſcere uellent.

10 Quàm ſubdole uero egerit cum Legato, nemo melius nouit quàm Legatus ipſe, qui lachrymis primum precibusq; illius non ſatis fidens, iuſsit illum petitionem ſuam in ſcriptis tradere, nec tamen omnem per hoc uulpeculæ fraudem præcauere potuit. Didicit enim paulo poſt, illi nihil fidendum eſſe, poſteaquàm audiuit illum apud plæroſq; & in odium Theologorum, quibus reſpondendi negocium commiſerat M. T. & in gratiam ſuorum quos defendebat, iactitaſſe, Legatum ea admiſiſſe, in quibus maligne aduerſarentur Theologi, Vnde factum eſt, ut Legatus conuocatis Theologis longa commemoratione uerborum inter ipſos ultro citroq; dictorum, queſtus fuerit de uana illius iactantia, quam & rei exitus uanam conuincit, & uerba Lutheri uanam fuiſſe oſtendunt, quibus affirmat Campegium dixiſſe, malle ſe diſcerpi fruſtatim, antequàm uelit permittere, aboleri miſſas angulares. Tanta tamen eſt utriuſq; impudentia, ut & Philippus Luthero ſuo dixerit priuatim, & Lutherus publice ſcripſerit, Legatum illum dixiſſe, Admitti quidem poſſe Lutheri doctrinam, ſed non oportere, ne forte ab alijs quoq; Nationibus approbetur. Quàm impudens uero ſit mendacium iſtud, M. T. probe nouit, quæ perſæpe audiuit ex ore ipſius Legati, quid Lutheranis tribuat, quantum dogmata eorum deteſtetur ac reprobet, quantum doleat, Germaniam (in qua diutiſsime uerſatus eſt) ſic ab eis & turbari & perdi.

Luth. contra Edictum Auguſtenſe.

Luth. in commonitione ad Germanos.

11 Ego autem, ut uidi ſubdolam eorum iactantiam, qua rudi plebeculæ doctrinam ſuam commendatiorem reddere conantur, edidi uerba Philippi ſimul cum reſponſione mea, quam Auguſtæ iuſſu Legati ſcripſeram, Quæ cum negare non auſit Philippus, alium ſubornauit, qui ſub nomine meo fictam ederet epiſtolam, in qua confiterer, me tantum fragmenta quædam petitionis ſuæ recenſere, quæ forent ad rationes meas accommodata. Atqui tam uerum eſt hoc, quàm uere illius ego ſum autor epiſtolæ. Habeo enim apud me proprium Philippi Chirographum, quod ipſe tradiderat Auguſtæ Legato, ex quo ſane docere perſpicue poſſum, ne unum quidem uerbum totius eius petitionis à me prætermiſſum fuiſſe in editione. Nunc tamen coram M. tua breuitatis gratia quædam conſulto prætermiſi, quæ ad rem non magnopere faciunt.

Vt uero M. T. adhuc clarius hypocriſin illius in ijs ad Legatum

uerbis

uerbis eius intelligat, afferenda mihi sunt aliunde quædam illius dicta his longe diuersissima, penitusq; contraria, quibus petulantissime simul & impijssime Ro. Ecclesiam calumniatus est iam olim.

Recita.

SCRIBA. Verba Philippi contra Ro. Ecclesiam. 12

I Docebimus autem, id quod in hac re potissimum est, primo loco. Non esse debere penes Ro. Pontificem rerum Christianarum summam. In Didymo Fauentino.

II Deinde obiter capita malorum recensebimus, quæ huius Tyrannidi debemus.

III Quin Aluaros etiam & Caietanos allegabas, qui quid non tribuunt Ro. Antichristo? Et hos calumniatores diuinæ scripturæ fertis principes?

IIII Quid enim Papæ cum Euangelio? quid Beliali cum Christo? quid tenebris cum luce?

V Nondum auditis Principes, Beatus es Papa Romane, uastator orbis terrarum. Sed beatus es Simon, uerum cur? quia Christum agnoscis.

VI Aut si Petrus à peccato & morte liberat, quin Christo longum ualere dicimus, & puppas Romanas adoramus.

VII Hierosolymis istam ignobilem gentium Ecclesiam præferemus?

VIII Reges gentium, immo ne reges quidem, sed publicæ orbis terrarum pestes sunt, qui nunc sese sanctissimis nominibus uendicant. Atq; hi tales quo iure, qua iniuria sibi primas Ecclesiæ arrogant.

IX Parum referre putat Lutherus, quod opes nostræ, pecuniæ Europæ Romam mittuntur, Hoc dolet, legibus pontificijs & regno Papistico animas hominum non dico in discrimen adduci, sed plane perdi.

X Vel tandem recordamini, uos & Christianos esse & Principes Christiani populi, & ab Antichristi tyrannide miseras Christianismi reliquias asserite.

Hæc & id genus multa non minus seditiose quàm impie uel in uno libello ante X. annos ad M. T. scribere Philippus iste ausus fuit, Qualia uero deinceps X. annis continuis in Apostolicam sedem dixerit & prælectionibus, & scripserit in libellis uarijs, referre nimis longum foret.

13 Et tamen ijs omnibus hypocritice dissimulatis, Confessionem suam ita temperauit, ut maximæ illius discordiæ, atq; adeo manifestæ & inimicitiæ & hostilitatis, quam Lutherani gigantice contra Ro. Pontificem susceperunt, ne uno quidem uerbo fecerit mentionem. Et in petitione sua ad Legatum Ro. Pontificis, tantam fingit humilitatem, ut per pontificiam clementiam oret Legatum, quo dignetur suis utranq; speciem permittere, sacerdotibus pro concubinis honestas concedere uxores, controuersiam de missa componere, & his tam paucis rebus uel dissimulatis uel relaxatis, concordiam constituere & pacem, de summo iure aliquid remittere, Canones mitigare &c. Quid obsecro his uerbis blandius, quid modestius, quid submissius? At nullus est Lutheranorum, qui eum ex animo talia scripsisse credat; Et nisi ipse fateretur inter suos, ea omnia ficte & circumueniendi studio atq; fiducia à se scripta fuisse, pro stipendio utiq; fustuarium iamdudum recepisset, fuissetq; à Luthero reiectus ad Papistas. Sed & Apologia eius satis clare indicat, qua mente ad Legatum ita scripserit, nempe intentione fallendi, uerbis fictis, humilitate simulata. Ad Legatum enim scribens, alios (qui utranq; speciem non dant aut sumunt) non damnat. In Apologia uero damnat eos atrociter, tanquam præuaricatores ordinationis & Testamenti Christi. Et de coniugio sacerdotum, quum ad Legatum contra Celibatum nihil dixisset, in Apologia maxime arguit impudentiæ aduersarios, quod in tanta inquinati (ut ait) celibatus infamia ausint legem Pontificiam defendere.

14 Iam uides opinor, Auguste, quid gratiæ à te mercatur iste, qui M. tuæ clementia tam indigne abutitur, nunc seditiosis incitationibus contra Ro. Ecclesiam, cuius te summum aduocatum esse non ignorat, nunc fallacissimis subdolæ Confessionis suæ simulationibus, quibus M. T. aut in partem suam trahere, aut si id non queat, odiosam ad populum reddere conatur, tanquam eam damnaueris tum Vuormaciæ tum Augustæ doctrinam, quæ nihil mali præ se ferat, Cumq; nuper ediderit quandam de M. T. epistolā, mira hypocrisi nimiumq; subdola duplicitate in ea est usus. Primum enim uirtutes tuas ad cœlum usq; extollit, atq; adeo semideum te facit, Deinde uero sceleratissime & M. T. & omnes alios Principes tyrannidis arguit, quod eam Augustæ damnaueritis doctrinam, quæ nihil aliud sit quàm uerum & purum Euangelium Christi ac uerbum Dei merum & syncerum.

15 An uero seditiosus tibi non uideatur is, qui ad M. T. publice scribere

bere ausit, Ro. Pontificem (cuius dignitatem & honorem te uelut Ecclesiæ aduocatum defendere decet) esse Tyrannum, esse Antichristum, esse puppam Romanam, esse uastatorem orbis terrarum, publicam pestem, esse regem gentium, exitium animarum, & quid non? Quin etiam qui ausit M. T. aliosq; Principes manifeste ad cædem & exitium summi Pontificis cohortari, ut ab Antichristi Ro. tyrannide miseras Christianismi reliquias asseratis, idq; faciatis sacræ scripturæ prætextu, sic enim subiunxit. Nam qui spiritus animauit Iehu aduersus sacerdotes Baal, idem nunc quoq; cohortatur uos prisco illo exemplo, ut extinguatis illam multo tetriorem Baalis idolatria Romanam superstitionem. *Phil. In Didymo.*

Post has tamen & plærasq; alias tam aperte & impias & seditiosas uoces, quas in publicum edidit, ausus est uenire Augustam, & ijs omnibus dissimulatis, non dubitauit, nec ueritus est nequissimis machinationibus, uarijs mendacijs, fucatisq; per hypocrisin uerbis tentare non solum M. T. & alios Principes per Confessionem fraudulentam, uerum etiam Legatum Ro. Pontificis ficta petitione, ut suis blandicijs mendacibus uos omnes aut saltem aliquos deceptos, in partem pertraheret suam, atq; unico illo ausu nefario maiorem ederet Ecclesiæ ruinam stragemq; animarum, quàm tot milibus librorum per XIII. annos edidit ipse Lutherus. Quis enim casurus non fuisset, si dolis hypocritæ huius circumuentus uel Romanus Imperator uel Ro. Pontificis Legatus cecidisset? O audacem & improbam Satanæ machinationem, quæ nonnihil forsitan effectura fuisset, nisi Christus uerissime promisisset, portas inferi aduersus Ecclesiam præualituras non esse. 16

Quantos enim uiros ab hæreticis circumuentos huiusmodi dolis legimus? Etenim tempore Constantini Magni, tui CAROLE Auguste antecessoris, Arrius, impius ac sceleratus hæreticus, cum fuisset in Niceno Concilio à patribus condemnatus, & à Constantino Imp. in exilium actus, uafricie unius presbyteri Arriani meruit restitutionem. Quippe soror Imperatoris, Constantia, quæ fuerat Licinio Cæsari nupta, per presbyterum illum dolose circumuenta, in mortis articulo à fratre uisitata, rogauit eum, ut & presbyterum illum nomine suo commendatum haberet, & à sanguine innocentium (exules Arrianæ sectæ intelligi uolebat) sibi temperaret. Hinc igitur presbyter ille Augusto familiariter notus, maxima in Ecclesiam Dei mala effecit, qui non solum ipsi Arrio reuocationem ab exilio, uerum etiam 17 *Vide hist. Eccle. lib. 10. c. 12 & seq. Item, histo. Tripar. lib. 3. c. 6. & seq. Et Hiero. contra Luciferianos.*

Eusebio Nicomediensi Episcopo cum plærisq; alijs Arrianæ sectæ si-gniferis restitutionem impetrauit, sed & filio Augusti Constantio ita sectam Arrianam commendauit, ut ille post mortem patris non mo-do in exilium proscripserit sanctissimos uiros Athanasium Alexan-drinum, Hilarium Pictauiensem, Paulinum Treuerensem, Eusebi-um Vercellensem &c. simul cum Ro. Pontifice Liberio, uerum etiam plærisq; conuocatis Episcoporum synodis, reuocauerit acta sacratissi-mi Concilij Niceni, suaq; persequutione in eas Catholicam Ecclesiam angustias redegerit, ut omnes pene Episcopi totius orbis (perquàm paucis exceptis) facti fuerint Arriani. Qui enim in Catholica fide per-sistebant, eijciebantur in exilium, & Arriani sufficiebantur in locum & dignitatem eorum.

1. Timo. 4. Non noua res est, Cæsar, hæreticos in hypocrisi (ut S. Paulus nos præmonuit) mendacium loqui, aliudq; in corde retinere, aliud ore proferre. Imposuerunt hac fraude maximis olim uiris, Arrius & amici eius Eusebius, Theogonus, Valens & plæriq; alij Episcopi. Certe Constantinus Magnus (qui & Maximus publica autoritate diceba-tur, id quod arcus Triumphalis Romæ adhuc hodie testatur) Arrium Niceæ à patribus CCCXVIII. condemnatum, breui quidem illo sed perquàm acerrimo Edicto insectabatur, haud mitius sane aut segnius quàm M. T. Lutherum Vuormaciæ à Leone Decimo Papa legitime condemnatum, seuerissimo Edicto insectata est. Hæc enim erat Edi-cti formula, quam M. T. recitandam deuote exhibeo.

Hist. trip. lib. 2. c. 15.

Recita.

18 SCRIBA. Edictum Constantini Imp. contra Arrium.

Victor Constantinus, Maximus, Augustus, Episcopis & populo. Malignos & impios Arrius imitatus, dignum est, ut illorum quoq; suscipiat ultionem. Sicut igitur Porphirius, diuinæ pietatis inimicus, iniqua uolumina contra religionem proferens, dignam promeruit in-uenire mercedem, & talem, per quam in posterum esset opprobrio, & plurima compleretur infamia. Et nunc placuit Arrium & consecta-tores eius uocari Porphirianos, ut quorum mores imitati sunt, eorum uocabulo perfruantur. Super hæc autem siqua conscriptio ab Arrio facta reperitur, igni tradatur, ut non solum doctrina praua eius depe-reat, sed neq; ulla eius posint remanere documenta. Hoc etiam præ-cipio, siquis conscriptiones Arrij celasse comperitur, & non repente proferens igne consumpserit, mortis supplicio subiacebit, Mox enim cum in hoc fuerit captus, capitalem suscipiet ultionem. Deus uos cu-stodiat.

Ecce

Ecce tibi, Cæsar, acre, licet breue, potentissimi quondam Monarchæ Edictum, quod certe maxima præcauisset Ecclesiæ illata ab hæreticis mala, si non fuisset gloriosissimus Imperator ille unius priuati homuncionis fraude circumuentus. Quippe presbyter ille latenter partibus Arrij fauens, per Constantiam Constantino suggerebat, Arrium non ob errorem ullum, sed per inuidiam & simultatem priuatam sui Episcopi, eo quod plebi satis charus esset Arrius, damnatum ab Episcopis in Concilio fuisse. Eius igitur instinctu reuocatus ab exilio Arrius, iussus est fidei suæ confessionem scribere. Is autem fallendi oportunitatem ita nactus, callidissime suam scripsit confessionem, uerbis quidem rectam, sensu autem deprauatam, Quam sane M. tuæ ideo recitandam profero, ut inde cognoscas, quàm nihil synceritatis & ueritatis sit in uerbis & fermentis hæreticorum.

Hist. eccle. lib. 10. c. 12.

Recita.

SCRIBA. Expositio fidei Arrij ad Constantinum Imp.

Pijssimo & Deo amantissimo Domino nostro Imperatori Constantino, Arrius & Euzoius presbyteri. Sicut præcepit Deo amibilis pietas tua Domine Imperator, exponimus nostram fidem, & scriptis profitemur, coram Deo sic credere & nos & omnes qui nobiscum sunt, sicuti subiectum est. Credimus in unum Deum patrem omnipotentem, & Dominum nostrum Ihesum Christum, filium eius, qui ex eo ante omnia secula natus est, Deum uerum, per quem omnia facta sunt quæ in cœlis & quæ in terra, qui uenit & carnem assumpsit, & passus est & resurrexit, & ascendit in cœlos, & iterum uenturus est iudicare uiuos & mortuos, & in spiritum sanctum, & carnis resurrectionem, & uitam futuri seculi, & in regnum cœlorum, & in unam sanctam Dei ecclesiam Catholicam, quæ à finibus usque ad fines est. Hanc autem fidem percepimus ex sanctis Euangelijs, dicente Domino discipulis suis. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti. Si autem non hæc ita credimus, atque suscipimus uere patrem & filium & spiritum sanctum, sicut omnis Ecclesia & sanctæ edocent scripturæ, quas per omnia sequimur, iudex noster erit Deus & nunc & in futuro seculo. Quapropter tuam pietatem rogamus Deo amabilis Imperator, ut dum Ecclesiastici simus, & fidem & sensum Ecclesiæ sanctarumque scripturarum habeamus, uniri nos per pacificam & Dei cultricem pietatem tuam matri nostræ Ecclesiæ iubeas. Quippe quæstionibus & superfluitatibus inquisitionum sublatis, & ut nos & sancta Ecclesia ad inuicem pacificati, solennesque

19 Hist. trip. lib. 3. c. 6.

orationes pro pacifico pioq; Imperio & omni tuo genere omnes com muniter celebremus. Hæc Arrius.

Nunc inſpice, precor, & tu Deo amabilis Imperator CAROLE, Philippicæ Confeſsionis duos articulos, primum & tertium, in quibus Arriani recte quidem damnantur, quia de Trinitate non recte ſentiebant nec de Chriſto. Et tamen ſi uerbis Arrij iuxta literam credatur, nihil mali (ſicut & Philippi confeſsio in dictis duobus articulis mali nihil habet) præ ſe fert eius Confeſsio, per quam tamen non ſolum Imperatorem, uerum etiam Epiſcopos quàm plurimos atq; adeo totum pene mundum nequiſsime decepit.

Sic poſt eum eodem uerborum fuco & inuolucro ſexcentos (ut affirmant nonnulli) Epiſcopos Ariminenſi Concilio congregatos ſceleſtiſsime decepit Valens, Murſenſis Epiſcopus, Qui cum reuera Arrianus eſſet, fraudulenta hypocriſi, uerba aliter intelligebat quàm communi ſenſu ab omnibus acciperentur. Cuius rei teſtem M. T. produco S. Hieronymum, qui prudenter ab hæreticorum callidis uerſutijs cauendum docens, hiſtoricum perſcripſit exemplum, quod M. T. recitandum exhibeo.

Recita.

20 SCRIBA. Verba S. Hieronymi contra Luciferianos.

Regem hic intellige Cōſtantium Imp. Cōſtantini filiū.

Valens Murſenſis Epiſcopus, qui eam Confeſsionem conſcripſerat, præſente Tauro prætorij præfecto, qui ex iuſſu Regis Synodo aderat, profeſſus eſt ſe Arrianum non eſſe, & penitus ab eorum blaſphemijs abhorrere. Res ſecrete geſta, opinionem uulgi non extinxerat. Itaq; alia die in Eccleſia, quæ eſt apud Ariminum, & epiſcoporum & laicorum turbis concurrentibus, Muzonius epiſcopus prouinciæ Byzantinæ, cui propter ætatem primæ ab omnibus deferebantur, ita locutus eſt. Ea quæ ſunt iactata per publicum, & ad nos uſq; perlata, aliquem è nobis ſanctitati ueſtræ legere præcipimus, ut quæ ſunt mala, & ab auribus & à corde noſtro abhorrere debent, omnium una uoce damnentur. Reſponſum eſt ab uniuerſis Epiſcopis, Placet. Itaq; cum Claudius Epiſcopus prouinciæ Piceni, ex præcepto omnium blaſphemias, quæ Valentis ferebantur, legere cœpiſſet, Valens ſuas eſſe negans, exclamauit & dixit.

Si quis

Si quis
- negat, Christum Deum Dei filium ante secula ex patre genitum.
- negat filium similem patri secundum scripturas, filium Dei non dixerit æternum cum patre.
- dixerit creaturam filium Dei ut sunt cæteræ creaturæ.
- dixerit de nullis extantibus filium, & non de Deo patre.
- dixerit, Erat tempus quando non erat filius.

Anathema sit Et responderunt uniuersi, Anathema sit.

Cum ergo cuncti Valentem ad cœlum laudibus tollerent, & suam in eum suspicionem cum pœnitentia damnarent, idem Claudius, qui supra legere cœperat, ait. Adhuc sunt aliqua quæ subterfugerunt dominum & fratrem meum Valentem, quæ si uobis uidetur, ne quis scrupulus remaneat, in commune damnemus. Siquis dixerit filium Dei esse quidem ante omnia secula, sed non ante omne omnino tempus, ut ei aliquid anteferat, Anathema sit, dixerunt cuncti Anathema sit. Multaq; alia quæ suspiciosa uidebantur, ad pronunciationem Claudij Valens condemnauit, Quæ siquis plenius discere cupit, in Ariminensis synodi actis reperiet, unde & nos ista libauimus. His itaq; gestis, Concilium soluitur, lęti omnes ad prouincias reuertuntur. Idem enim Regi & bonis omnibus curæ fuerat, ut Oriens atq; Occidens cōmunionis sibi uinculo necterentur. Sed diu scelera nō latent, & cicatrix male obducta, incocto pure dirumpitur. Cœperunt postea Valens & Vrsatius cæteriq; nequitiæ eorum socij egregij uidelicet Christi sacerdotes, palmas suas iactitare, dicentes, se filium nō creaturam negasse, sed similem cæteris creaturis. Tunc Vsiæ nomen abolitum, tunc Nicenæ fidei damnatio cōclamata est. Ingemuit totus orbis, & Arrianum se esse miratus est. Concurrebant Episcopi, qui Ariminensibus dolis irretiti, sine conscientia hæretici ferebantur, contestantes corpus Domini & quicquid in Ecclesia sanctum est, se nihil mali in sua fide suspicatos. Putauimus (aiebant) sensum congruere cum uerbis, nec in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labijs proferre timuimus. Decepit nos bona de malis existimatio.. Hæc ex Beato Hieronymo.

Hinc ergo facile cognoscis, Imperator, quàm caute agendum sit cum hæreticis, si omnes eorum fallaciæ subterfugi aut præcaueri debeant. 21

Vbi supra. beant. Subtilis est (ait B. Hiero.) hæresis, & ideo simplices animæ facile decipiuntur. Cumq; hoc non ignoret Lutherus, mauult scribere Teuthonice ad decipiendam plebem, quàm latine, scit enim eruditos non tam facile capi posse quàm plebem. Et ex supradictis uidere potest M. T. Lutherum atq; etiam Philippum eius, longe atrociora dixisse alicubi contra Nicenam synodum atq; etiam contra Trinitatem personarum quàm uel Arrius in sua Confessione, uel Valens in Ariminensi Concilio dixisse comperitur. Certe non ait ibi Arrius, Satanæ additamentum esse, quicquid in scripturis non habetur. Nec ait, Euangelium funditus euertere Papatum & Concilia, nec prophanam uocat uocem, Homousion, nec mentitur in Hieronymum aut alium è Catholicis, quasi dixerit uenenum latere in literis & syllabis illius uocis, sicut dixit & scripsit publice Lutherus. Nec item blasphemauit sic in Ro. Pontificem Arrius, nec in Concilia, nec in spiritum sanctum, sicut extra Confessionem suam fecit Philippus iste. Vbi enim dixit aut scripsit Arrius, Papam esse Antichristum? Vbi, obscuratam esse gratiam & uim germanam Euangelij per Nicenam synodum? Vbi, Spiritum sanctum non alia docere nisi quæ scripturis sunt prodita, & à Christo prius dicta? Recte quidem damnat Philippus tum Arrianos tum Paulianistas & horum similes hereticos, qui de Christo non recte senserunt, sed per hoc minime ab eadem culpa excusatur ipse. In quo *Rom. 2.* enim alios iudicat, seipsum condemnat, ut ait Apostolus. Nam & ipse de Christo pessime alicubi scripsit, Quod ut euidentius cognoscatur, ipsius uerba recitanda subijciam.

22 Recita.

SCRIBA. Verba Philippi contra Christum.

Phil. in Anno. in Matt. in fi.

I Tertia, eademq; summa, causa pauoris Christi erat, sensus quidam desertionis & iræ diuinæ, quo fluctuabat Christus inter infernum & uitam.

II In hoc pauore facta est despoliatio donorum in Christo, ut iam non concludat argumentum de charitate, quod ubi sit perfecta charitas, ibi non sit timor.

III In hac afflictione & angustia despoliatio quædam charitatis facta est.

Idē in Annot. 1. Cor. 1.

IIII In Christo, subtrahente se diuinitate, non flagrauit charitas.

V Facit & patris & Christi mentionem Apostolus, ut significet, non tam Christum Deum esse, quàm per Christum omnia donari. Hæc Philippus.

At nihil

At nihil horum in Confessione fidei suæ dixit Arrius, nihil Valens, Ne Paulus quidem Samosatenus, licet reuera pessime de Christo senserit, ac ueterem Artemonis hæresim instaurauerit, quæ purum hominem, id est, absq; Deo fuisse saluatorem nostrum affirmat. Idq; antiquitus ab ipsis etiam Apostolis traditum fuisse mentitur. Quam sane impietatem & hodie ex germine Luthericæ ac Philippicæ doctrinæ renouat serpens antiquus in Catabaptistis, qui Christum non Deum uerum, sed Prophetam quendam & purum hominem fuisse delirant. Quod si Christus non debeat dici Homousios, id est, consubstantialis patri, ut Lutherus contendit. Et si uerum sit, non tam Christum Deum esse quàm per Christum omnia donari, ut Philippus rhetoricatur, quid obsecro aliud inde sequatur, quàm quod noui ueterum hæreticorum discipuli, Catabaptistæ concludunt, Christum, non Deum uerum (heu nefas & blasphemiam) sed purum fuisse hominem?

Vide Histo. eccle. lib. 5. c. 27. & lib. 7. c. 25.

Luth. contra Latomum.

23 Quamuis uero error iste de Christo maxime sit & absurdus & blasphemus, Paulus tamen Samosatenus, qui erat & Patriarcha Antiochenus & Orator eloquentissimus, tam callide potuit eum celare ac palliare, ut in multis Episcoporum collationibus deprehendi non potuerit, donec Malchion presbyter acerrime instans & urgens, lubricum rhetorem, detecto tandem errore comprehendit. Qua de re sic habet in Historia Ecclesiastica Eusebius Cæsariensis. Temporibus Aureliani Imperatoris ultimum apud Antiochiam Episcoporum Concilium congregatur, In quo Paulus arguitur manifesteq; conuincitur hæreticus, & damnatur ab omnibus quæ sub cœlo sunt, ecclesijs Christi, insistente plurimum & disceptationibus ualidissimis perurgente Malchione presbytero Antiochenæ ecclesiæ, uiro fidelissimo & omnibus uirtutibus adornato. Cui accedebat etiam hoc, quod erat disertissimus & potens in uerbo, atq; in omni eruditione perfectus, deniq; Oratoriam in eadem ipsa urbe docuerat. Huic igitur ab omni Episcoporum Concilio permittitur disputatio cum Paulo, excipientibus Notarijs, quæ ita magnifice ab eo & accurate habita est, ut scripta ederetur, & nunc quoq; in ammiratione sit omnibus. Solus etenim potuit dissimulantem & occultantem se Paulum confessionibus proprijs publicare. Hæc Eusebius. Qui & epistolam Episcoporum illius Concilij recitat, quæ testatur illum antea promisisse Firmiliano ex Cappadocia Episcopo, se correcturum esse errorem, quum tamen dolo differret & hominem falleret, Deumq; negaret, ac fidem in qua renatus fuerat, uiolaret. Qui & tantæ erat peruicaciæ, ut per Concilium ab

Lib. 7. c. 25.

Episcopatu depositus & excommunicatus, de domo Ecclesiæ noluerit exire, donec manu publica inde pelleretur. Interpellatus enim de hoc Aurelianus Imperator, religiose satis sancteq; decreuit (licet Paganus esset) his præcipiens Ecclesiæ domum tradi, quibus Italiæ sacerdotes & Romanus Episcopus scriberent.

24 Quorsum uero hæc omnia tendunt, Imperator CAROLE? huc profecto, ut M. T. nullis hæreticorum uel probationibus uel excusationibus, quamlibet fucatis & scripturæ locis in speciem munitis, fidem habeat, sed regia uia secundum limites fidei antiquos, à sanctis patribus positos, & tot seculis religiose obseruatos, simpliciter (ut facit) incedat. Scriptum est enim, Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter: Qui autem deprauat uias suas, manifestus erit. Et iterum. Abominabile Domino cor prauum, uoluntas eius in his qui simpliciter ambulant. Et rursus. Qui ambulat simpliciter, saluus erit: Qui peruersis graditur uijs, concidet semel. Sic concidit Paulus ille Samosatenus, sic Arrius, sic Pelagius, sic Nestorius, sic Eutices, sic & alij, quotquot fuerunt, hæretici, quamlibet facundi, eruditi, astuti, lubrici, ac peruersis gradientes uijs. Concident igitur & Lutherani, ac quicunq; alij nouarum sectarum adinuentores, quamlibet uersuti sint & uerbosi. Solidæ enim ueritati (quam spiritus sanctus suggerit Ecclesiæ) resistere in finem usq; non poterunt. Scriptum est enim. Veritas magna est & fortior præ omnibus. Omnis terra ueritatem inuocat, cœlum etiam ipsam benedicit, & omnia opera mouentur & tremunt eam, & non est cum ea quicquam iniquum. Item. Forte est uinum, fortior est Rex, super omnia autem uincit ueritas. Et alibi ait rex Salomon. Iustitia simplicis diriget uiam eius, & in impietate sua corruet impius. Iustitia rectorum liberabit eos, & in insidijs suis capientur iniqui.

Prouer. 10. Ib. 11. Ib. 28. 3. Esdræ. 4. Ib. c. 3. Pro. 11.

25 Quamuis igitur Philippus iste in nonnullis Confessionis suæ articulis (licet perquàm paucis) inculpabiliter scripserit per hypocrisim, ut eo uerborum fuco & suis gratiam & Catholicis inuidiam pararet, minime tamen fides per omnia adhibenda ei est, quandoquidē in plærisq; alijs articulis grauiter errat, & in ijs, quos admisimus, alibi haud semel impegit, impiusq; ac blasphemus fuit. Certe quàm impie scripserit alicubi de Christo, de Nicena synodo, de spiritu sancto &c. ex præmemortais intelligere licebit. Quàm impie uero sæpissime scripserit de Deo patre atq; adeo de tota Trinitate, M. T. clarius uidebit, ubi de libero arbitrio illius Apologiæ responderimus.

Nunc ea tantum subiungere libet, quæ ego Augustæ quorundam peti-

dam petitione ex communi Theologorum responsione, quam M. T. iussu in Luthericam Confessionem adornarant, ad M. T. referre uolebam, si non obstitisset quorundam consilium, qui iudicabant eiusmodi responsionem fore nimis & acrem & prolixã. Metuebant enim ne forte prolixior foret quàm ut absq; fastidio perlegi tota uno in consessu publico possit, submonebant item, M. T. nolle, ut absurdis concionatorum Luthericorum erroribus aut percellerentur aures aut confunderentur uultus Principum Lutheranorum, qui uidebantur pacis auidi, & errorum grauiorum ultro pertæsi. Quum uero Lutherus & Philippus nunc eiusmodi M. T. clementiam iniquissime interpretentur, & Theologis, quos M. T. respondere iussit, improbissime insultent, uelut noctuis uerspertilionibusq; lucifugis, quasi responsionem suam in lucem edere non ausint, ego hic Epilogi uice M. T. ea recitanda exhibeo, quæ in primum & tertium Confessionis eorum articulos, de quibus ad longum supra egi, Augustæ ex Theologorum responsione conscripsi.

Recita.

SCRIBA. Confutatio Luthericæ Confessionis Augustæ exhibitæ. 26

Articulus I. de Trinitate,

Inuictissime Imperator, Domine Clementissime, Princeps Deo dilecte, nobisq; sacrosancte ac semper Auguste, Confessio Illustrissimorum Principum eorumq; Concionatorum, in primo articulo, ab omnibus Orthodoxis procul dubio probabitur, & cum gaudio ac debita congratulatione suscipietur, ubi fatentur, Decretum Nicenæ Synodi de unitate essentiæ diuinæ & de tribus personis, sine ulla dubitatione credendum esse.

Ex qua saneConfessione poterit Cæsarea Maiestas uestra illos benigne admonere, Primum, ut quæcunq; approbat Ecclesia Catholica communi consensu, etiam si in literis sacris expressa proprijs uocabulis non fuerint, ipsi quoq; pro approbatis habere uelint, utpote sacrificium Missæ, ieiunium quadragesimale, Inuocationem sanctorum, exequias mortuorum, & id genus alia. De quibus nouæ ab eorum Concionatoribus contentiones, magno cum scandalo infirmorum, grauiq; commotione populorum, in uulgus temere dispersæ sunt, hanc præcipue causam prætendentibus illis, quia Euangelium & sacræ literæ ista nõ habeant. At si causa ista ualeret, utiq; confessio hęc de unitate essentiæ diuinæ & de Trinitate personarum nihil ualeret.

Quandoquidem in sacris literis & in Euangelio, nusquam sub istis uerbis reperitur. Et cum Græci dicunt citra scripturam tres hypostases, quod latine ad uerbum sonat tres substantias, Latini tamen nequaquam tres substantias, sed tres personas confitentur. Sacræ autem literæ docent quidem nos dicere tres, Patrem, filium, & spiritum sanctum, sed dicere tres Hypostases aut tres personas, nusquam docent. Et tamen recte sic dicimus, quia Ecclesia communi consensu ista recepit & approbauit, Ergo & alia dicere & obseruare debemus, quæ Catholica Ecclesia docet, recipit, seruat, præcipit, aut instituit, etiam si in literis sacris expressa non reperiantur.

Matth. ult. 1. Ioh. 5.

Deinde pie admonendi sunt Principes isti, ut sacratissimam Synodum Nicenam, quæ sub Constantino Magno, An. Do. CCCXXIIII. Episcopos CCC. & XVIII. sanctissimos ac eruditissimos uiros in unum congregatos habuit, in reliquis quoq; Canonibus nobiscum reuerenter agnoscant & sequantur. Quemadmodum & ipsi olim, & ante ipsos Patres eorum, ac omnes retro Principes ac Reges Catholici, laudabiliter fecerunt. Nam in puplicis legibus Imperatores Ro. religiose alicubi sanxerunt, ut Regulæ Ecclesiasticæ, à quatuor sanctis Concilijs, Niceno, Constantinopolitano, Ephesino primo, & Chalcedonensi, aut expositæ aut firmatæ, pro legibus habeantur, & eorum dogmata sicut scripturæ sanctæ recipiantur. Ergo sacri Ordines Episcoporum & Clericorum in suis officijs retinendi sunt, obseruandi dies quadragesimæ, celebrandæ Episcoporum & presbyterorum Synodi peragenda pœnitentia, seruanda Ecclesiæ statuta, & cætera quoq; recipienda, quæ sanctissima Synodus Nicena recepit ac statuit, & tota Ecclesia fœliciter hactenus obseruauit.

In Auc. Collatione. 9. cõsti. 6. in principio

Tertio, admonendi sunt ijdem Principes, ut Concionatores & Doctores suos nouos, ad Palinodiam adigant & compellant, in ijs quæ perperam contra prædictam Synodum docuerunt & scripserunt. Nominatim uero Martinum Lutherum & Philippum Melanchthonem, qui publice contra leges & bonos mores, in graue populorum scandalum ac piarum aurium offensionem, Nicenum illud Concilium calumniati sunt. Lutherus quidem in hæc uerba. In Synodo Nicena fides & Euangelium defecerunt, & inualuerunt traditiones hominum. Item. Sæpe in Concilio nullus adest uir, qui diuinum spiritum uel modicum olfecerit, sicut contigit in Concilio Niceno, ubi tractabant & leges condere uolebant super statu Ecclesiastico, ne essent in matrimonio, ibi iam omnes erant falsi &c. Item. Anima mea odit hoc uocabulum

Luth. in Sermone, Attendite à falsis prophetis.

cabulum

cabulum Homousion, nec fœliciter est receptum, & Hieronymus conqueritur esse nescio quid latentis ueneni in literis & syllabis eius, à magnis quoq; & doctissimis uiris non fuit receptum, &c. Quàm Arrianum uero impiumq; & falsum sit hoc dictum eius, quis non uidet? Cur enim damnatus fuit Arrius à CCC. & XVIII. Episcopis, & à Constantino Imp. in exilium actus, nisi quod uocabulum hoc recipere noluit? prætendebant sane Arriani idipsum quod prætendunt modo Lutherani, nempe nihil recipiendum esse quod in scripturis non habetur expressum, Vnde dicebant nos Catholicos per irrisionem Homousianos, sicut nunc à Lutheranis dicimur Papistæ. Cum igitur Principes isti hic ultro damnent Arrianos, necessarium est, ut suum quoq; Lutherum damnent, qui idem in Catholicis male reprobat, quod reprobauit olim Arrius, quem hic damnant. Melanchthon uero sic ait. In Synodo Nicena constitutæ sunt, quædam pœnitentiæ formæ, non pronuncio, quo spiritu decreuerint patres. At uideo, bonam Euangelij partem, imo uim germanam Euangelij, obscuratam esse ea traditione. Nam inde primum natæ sunt satisfactiones, quæ principio fortasse tolerabiles erant, cum adhuc purior esset Euangelij intellectus penes Ecclesiam, Sed paulo post, ex satisfactionibus, quæ conscientiarum carnificina facta est, obscurata est gratia, & quod Euangelium Dei fidei tribuit, cœptum est satisfactionibus tribui, quo quid est & impium magis & perniciosius? Et his malis certe occasionem tribuit Nicena Synodus. Hæc ille. Et hinc igitur uidere possunt isti Principes, quàm misere seducantur populi eorum, ab ijs quos inter Doctores suos alunt & præcipuos habent. Cui uero parcant tam superbæ censuræ homines, qui tot & tam sanctos Patres simul cum Imp. Constantino ac tota Ecclesia arguunt impietatis & obscurationis Euangelij? Qua ergo fronte citant nunc Concionatores eorum Nicenam Synodum, quam ij quos præcipuos habent, tam fœde calumniantur & arguunt? Nisi igitur ad Palinodiam adigantur, suspicari merito poterimus, nihil hic serio à Principibus istis, in quorum & manu & mensa calumniatores isti sunt, coram Cæs. M. V. proponi, intendi, aut agi in sua Confessione, quamuis meliora speremus.

Luth. contra Latomum.

Phil. in locis communibus.

Quarto deniq;, poterit eos Cæs. M. V. salubriter admonere, ut suis Concionatoribus, quamlibet eruditis & eloquentibus, contra uniuersalem Dei Ecclesiam nihil credere posthac uelint, eo quod certi sumus ex Euangelio, Christum & promisisse & misisse atq; dedisse Spiritum sanctum Ecclesiæ, qui suggerat ei omnia, omnemq; doceat ueritatem. *Ioh. 14. & 16.*

Vnde

Vnde fit, ut Christus dicat, Ecclesiam suam fundatam esse super fir-
Matth. 16. mam petram, & Paulus nominet eam columnam & basim ueritatis.
1. Tim. 3. Ideo à ueritate & recta fide (custode ac ductore Spiritu sancto) aberra-
re nunquam poterit. Quilibet autem homo quantumuis doctus aut
Psal. 115. ingeniosus, errare potest, scriptum est enim, Omnis homo mendax.
Cum igitur longe à scopo ueritatis aberrauerint olim doctissimi ac
eloquentissimi homines, Valentinus, Paulus Samosatenus, Arrius,
& plæriqꝫ alij, quos Principes isti hic recte ac merito damnant. Cur
non credamus, Lutherum quoqꝫ & Melanchthonem eorumqꝫ com-
plices potius errare quàm totam Ecclesiam, cui paracletum dedit Chri
1. Pet. 5. stus spiritum ueritatis? Scriptum est enim, Deus superbis resistit, hu-
milibus autem dat gratiam. Quis autem non uidet, quàm impudens
& immanis sit horum hominum superbia, qui Nicenam Synodum
(in qua Athanasius quoqꝫ & Eusebius Cæsariensis, uiri omnium eru-
ditissimi ac eloquētissimi, adfuerunt) tam proterue in publico iudicare
audent? Et tamen eandem prius persæpe collaudauerūt & sacratissi-
mam prædicauerunt. Merito igitur admonendi sunt principes isti,
ut de cætero his hominibus contra Ecclesiam nihil prorsus credant.

27 Articulus III. De duabus naturis in Christo.

Quamuis multa complectatur articulus iste membra, nos tamen omnia uelut pia, uera, & Catholica, libenter & cum gaudio agnoscimus & amplectimur, suppliciterqꝫ Principes istos in Domino adhortamur, ut in cæteris quoqꝫ nil nisi Catholicum à suis Concionatoribus acceptare aut admittere uelint. Poterit itaqꝫ & hic Cæs. M. V. illos pie ac salubriter admonere, ut sicut istum articulum in omnibus membris suis recte iuxta Ecclesiæ determinationem asserunt & affirmant, licet huiusmodi uerba in scripturis non habeantur: Ita & in reliquis Ecclesiæ determinationibus fideliter cum patribus suis persistant, & acquiescant potius, quàm ut permittant se longius à ueritate per nouas Concionatorum suorum adinuentiones abduci.

Sequitur itaqꝫ ex huius articuli confessione, iure ac merito damna-
tum esse Lutherum, qui publice scripsit & docuit, quod pia conscientia
Luth. de abro- nouit nec dubitat, Ecclesiam nihil statuere aut ordinare citra aut ultra
ganda Missa. uerbum Dei. Item. Quod in scripturis non habetur, hoc plane Satanæ
additamentum est. Item. Mira nostra peruersitas est, ut alijs testimo-
nijs quàm scripturæ nostra uelimus probare &c. At clarum est, in scri-
pturis non haberi plæraqꝫ uerba huius articuli, uerissimi alioqui &

minime in dubium reuocandi, ergo falsa sunt dogmata ista Lutheri. Vbi enim habetur in scripturis expressum, duas naturas Christi, Domini & saluatoris nostri, diuinam & humanam in unitate personæ inseparabiliter coniunctas esse? Verissimum quidem est hoc, at non in scripturis in hæc uerba expressum, sed ab Ecclesia, suggerente spiritu ueritatis, recte determinatum, & omnibus fidelibus necessario credendum & approbandum, licet nusquam in sacris literis ita declaratum aut expressum. Nusquam item in sacris literis scriptum legitur, Symbolum istud, quod Apostolorum dicimus, ab Apostolis uel compositum uel conscriptum fuisse, Et tamen recte pie ac uere ita credimus, non quod in scripturis habeatur expressum, sed quia sic per spiritum sanctum edocta tenet pia mater Ecclesia.

Restat igitur circa hunc articulum, ut Cæs. M. V. clementer Principes istos adhortari, atq; efficaciter sua autoritate inducere uelit, ad standum ac acquiescendum in omnibus definitioni ac unanimi consensu uniuersalis Ecclesiæ, quam supra firmam petram ueritatis ædificatam esse, & à spiritu ueritatis regi ac duci, ex sacris literis compertum habent, Ac damnare proinde uelint nobiscum, quicquid ab eorum Concionatoribus contra Ecclesiæ scita & decreta usquam aut unquam euulgatum est. Hic uero potissimum damnent (uti faciunt Catholici) diras eorum blasphemias, in Christum ipsum & in gloriosam genitricem eius sceleratissime diuulgatas. In primis damnent hunc Lutheri errorem, quo asserit, in sacramento altaris sub specie panis tantum modo corpus Christi uere adesse, sanguinem uero & animam deitatemq; eius à Theologis ibi incantari aut præstigio induci. Principes enim ipsi hic bene & laudabiliter fatentur, contrarium, nempe, duas naturas Christi in unitate personæ inseparabiliter coniunctas esse. Damnent suum Pugenhagium Pomeranum, Episcopum (ut iactitant) Vuittenbergensem, qui publice scripsit, Christum expertum esse terrores animæ usq; ad desperationem. Damnent Melanchthonem suum, qui scripsit in hæc uerba. Summa causa pauoris Christi erat sensus desertionis & iræ diuinæ, quo fluctuabat Christus inter infernum & uitam. in hoc pauore facta est desolatio donorum in Christo, Nam in hac afflictione & angustia, despoliatio quædam charitatis facta est, quod scilicet subtrahente se diuinitate, non flagrauit charitas. Damnent Antonium Zimerman, hominem insigniter Lutheranum, qui ait, Christus conquestus est se derelictum esse à Deo, hoc est quod ipse de uita & beatitudine & ab omnibus bonis fuit derelictus. Damnent

Matth. 16.
Ioh. 16.

Luth. ad Vualden. & cõtra mandatũ Episcopi Misnen.

Pomer. in psalterium.

Phil. in Anno. in Matt. in fi.

ment studiosum Lutheri discipulum Burguerum, plebanum S. Galli, qui dicit duas naturas in Christo fuisse commixtas, secundum olim damnatam hæresim Eutycetis. Et quis omnes eorum errores & impietates in Christum euulgatas, facile dinumeret? Damnent denique cunctos illos (quorum infinitus, proh dolor, numerus est) qui blasphemant & inhonorant beatam uirginem Mariam, Dei genitricem. Nam Lutherus ei abrogat consuetos hymnos, Salue Regina, Regina cœli &c. alius uocat eam ancillam rusticam, alius gramineam, alius lotricem, & quid non? Aequum est igitur, ut iuxta hanc confessionem suam Principes isti eiusmodi libros, adeo impios, scandalosos & blasphemos, de medio tollere & exurere, autoresque eorum ad Reuocationem compellere merito debeant.

Luth. in sermone de natiuitate Mariæ.

PHILIPPICA SECVNDA IOHANNIS COCHLEI IN Apologiam Philippi Melanchthonis, de secundo Confessionis Luthericæ articulo, In quo Augustæ actum fuit de Peccato originali.

AVdisti iam Imperator Auguste, quàm callide simulator iste circa primum & tertium Confessionis suæ articulos, impijs & suis & Lutheri sui erroribus, quos simulando reticuit, Catholicam pietatem, in qua neminem habet aduersarium, prætexuerit. Nunc audi obsecro, qua calliditate tractet articulum secundum, in quo agit de peccato originali. De quo sane prolixa uerbositate contra nos in sua hic queritur & contendit Apologia, non solum in hypocrisi mendacia loquens, uerum etiam calumnijs maligne nos aggrauans.

Ait enim in ipso statim uestibulo deprehendi, non solum iudicium sed etiam candorem nobis defuisse. Ait, nos acerba interpretatione conficta, sententiam per se nihil habentem incommodi, arte deprauare. Ait nos hac in causa magna ex parte non intelligere quid loquamur, sæpe dicere pugnantia. Ait nos nec formale originis nec defectus recte ac Dialectice expedire. At probe nouit sacratissima M. T. quàm benigne ac expedite sit Lutheranis circa hunc articulum publice responsum. Nouerunt item Principes & Iureconsulti, qui

utriusq; partis consensu in delectum concordiæq; tractatum deputati fuerant, quàm facile ibi concordatum fuerit, dum Philippus iste admitteret nobis, originale peccatum esse carentiam originalis iustitiæ, eiusq; culpam tolli per baptismum, fomite, quem concupiscentiam dicimus, remanente. Nequaquam uero nobis ibi obiecit, quæ nunc in Apologia obijcit, neq; irrisit ibi scholasticos, ut hic, Theologos, quasi non intelligant definitionem peccati Originalis, Quos ut ineptos faciat, se mendacem reddit, dum ait illos disputare, utrum qualitas illa, fomes scilicet, contagione pomi, an ex afflatu serpentis contracta sit, utrum augeatur medicamentis &c. quibus sane quæstionibus oppresserint principale negocium. Nihil profecto talium à nobis audiuit unquam, nec in libris nostris legit usquam. Confingit autem, ut cum inuidia irrisioneq; nostri suam lectori causam commendatiorem reddat. Quum igitur Augustæ hunc articulum, ad normam & sensum Catholicorum emendauerit in concordiæ tractatu, & hic insuper in Apologia sua pluribus uerbis iactitet, suam descriptionem consentire cum usitata & ueteri definitione, quid tam odiosam in nos logomachiam frustra, immo maligne, tam inuidiosis querimonijs intentat? Si re consentit, cur uerbis inaniter pugnat? cur toties ignorantiam & nobis peculiariter, qui Augustæ M.T. iussu respondimus eorum Confessioni, & scholasticis Doctoribus generaliter petulantius & obijcit & exprobrat, si eandem, quam ueteres docuerunt, sententiam de Originali peccato nobiscum tenet? Memento igitur Cæsar, M. tuæ alijsq; Christianis Principibus iampridem à spiritu sancto dictum serio esse, Can. 2.
Capite nobis uulpes paruulas, quæ demoliuntur uineas. Vulpecula enim ista, uerbosa fraudulentia sua nihil aliud quærit, quàm ut simpliciores uerborum compositorum fuco circumueniat. De quo non abs re sane scriptum intelligitur, Culmus stans, non est in eo germen, Osee.8.
non faciet farinam.

Finxit Augustæ in Delectu, fingit & hic in Apologia sua, se Lutherumq; suum, nihil hic sentire alienum aut à scriptura aut à Catholica Ecclesia, fingit & Concionatores suos nihil tradere noui, sed sanctam scripturam & sanctorum patrum sententias proponere. 2

Non noua est hæc fraus, Auguste, sed antiqua uulpecularum astutia, & solitus decipiendi prętextus, tum scripturas, tum patres corrupto & peruerso sensu, quamlibet etiam inuitos ac renitentes, per mendaciorum præstigia in partem trahere suã. Quis enim sanctorum Ecclesiæ Doctorum de hac uulpium fraudulentia non queritur? Quid 3

aliud fecit insignis hypocrita Pelagius, quid Iulianus, quid Celestius? Nonne Ambrosij, Hieronymi, Chrysostomi atq; etiam Augustini dicta sinistro sensu ipsimet Augustino, qui eos oppugnabat, obiecerunt? Quantis præterea usi sunt scripturæ testimonijs? At de hac hæreticorum decipula etiam antiquissimi palam conquesti sunt scriptores Tertullianus, Irenæus, Cyprianus &c. atq; adeo & ipsi Apostoli Petrus & Paulus. Nulli igitur aut fidendum aut credendum est, quamlibet multis utatur uel scripturæ uel patrum testimonijs, quisquis contra antiquam fidem nouitatem ullam adducit, & à singulari dogmate aut doctrina nomen sibi parare præsumit, fallit enim & fallitur. Fallit incautos & nouarum rerum cupidos, fallitur opinione propria, suæ innitens prudentiæ, ac se unum superbe cunctis doctiorem reputans.

Vide Aug. in lib. de natura & gratia, & in 6. lib. cōtra Iulianum &c. Tertul. de pre script. 2. Pet. 2. 2. Tim. 3

4 Hoc uitij, tametsi omnibus hæreticis commune sit, in hoc tamen Philippo ita insigne uidetur, ut ei proprium uideri queat, quum uix ullus inter omnes retro hæreticos reperiri queat, cui uel superbior maiorum præ se contemptus, uel audacior in claros eruditione uiros censura fuerit. Superbissimi quidem fuere Paulus Samosatenus, Dioscorus Alexandrinus, Nestorius Constantinopolitanus, uiri ætate graues, sermone diserti, dignitate Patriarchæ. Nullus tamen eorum tam arrogantem in maiores censuram scripsit, qualem Philippus iste scripsit ante annos nouem, ipse annos nondum triginta natus, nec Doctor nec sacerdos, nec in ulla uel dignitate uel reipublicæ administratione constitutus. Quod ut mihi credas, Auguste, ipsiusmet uerba ex scheda recitanda offero.

Recita.

SCRIBA. Verba Philippi, in locis communibus.

I Ex Origene si tollas inconcinnas allegorias, & philosophicarum sententiarum syluam, quantulum erit reliquum? Et tamen hunc autorem magno consensu sequuntur Græci, & ex latinis qui uidentur esse columnæ Ambrosius & Hieronymus. Post hos fere quo quisq; recentior est, eo est insyncerior, degenerauitq; tandem disciplina Christiana in scholasticas nugas. De quibus dubites, impiæ magis sint an stultæ. Breuiter fieri nequit, quin cauto etiam lectori sæpe imponant humana scripta. Et alibi, ante annos X.

Phil. in Apologia contra decretum Parisiense.

II Videtur Lutetia non peccare nunc primum, sed iam olim ineptire, cum ecclesiastica doctrina humanis disputationibus uitiata, philosophari cœpit. Cōstat enim natam esse Lutetiæ prophanam

illam scholasticen, quam Theologiam uocari uolunt, Qua admissa, nihil salui reliquum est Ecclesiæ. Euangelium obscuratum est, fides extincta, recepta operum doctrina, & pro Christiano populo, ne legis quidem, sed moralium Aristotelis populus sumus. Et rursus in alio loco.

III Sed ne nullæ essent in Christianismo scholæ, Academiæ generalium studiorum, quas modo Vniuersitates uocant, conditæ sunt. Atq; hoc consilio mirum est quàm placeant sibi, quàm salutare putent, quo non aliud unquam repererunt neq; perniciosius neq; magis impium, & quod uideo non Pontificibus, sed ipsi deberi Satanæ. Qui si quo unquam, hoc certe casu egregie imposuit Christiano populo. Equidem sapientem uirum fuisse iudico Vuiclefum Anglum, qui omnium primus, quod ego sciam, uidit, Vniuersitates esse Satanæ synagogas. Et quid dici uel pium magis uel sapientius potuit? Hæc Philippus. *Phil. in Didymo Fauentino.*

Audis hic, Imperator, quid iste tribuat uel columnis & probatissimis Ecclesiæ Doctoribus, quid Academijs, quid Lutetiæ, quam sibi iudicem paulo ante delegerat, ipso conscio, in Lipsica disputatione Lutherus. Et heri audisti, quid tribuat Concilijs, quid sacratissimæ Synodo Nicenæ, quid deniq; Christo ipsi & spiritui sancto. Ne mireris igitur, nihil ab eo tribui ijs Theologis, quos Augustæ uelut aduersarios odio habuit. Cui enim parcat aut deferat, qui audet Christum in cruce spoliare tum alijs donis tum etiam charitate, immo & deitate, Qui spiritui sancto edicit nequid sanciat, quod scripturis proditum non sit, Qui Nicenæ Synodo imputat Euangelij obscurationem, Qui Concilijs Romanisq; Pontificibus, immo & uniuersæ Ecclesiæ propria temeritate abrogat ius statuendi de fide, autoritatemq; condendi articulos fidei, Qui procaciter arguit sanctos Ecclesiæ Doctores, ueteres quidem insynceritatis & Philosophiæ, scholasticos uero, non solum nugacitatis & stultitiæ, uerum etiam impietatis & imposturæ. *Phil. in Anno. in Math. in fi. Et in Ioh. c. 14. Et in locis communibus.*

Non hæc commemoro, Auguste, in eius uel inuidiam uel odium, quin maxime cupio & sanari salubri resipiscentia & saluari fide Catholica, sine qua impossibile est placere Deo Heb. xj. sed in defensionem ueritatis & in excusationem nostri, quos improbe calumniatur sine causa. Si enim reuera nobis consentit de peccato Originali, uti simulauit Augustæ in placita collatione, quid opus est hac mordaci ac uirulenta nugacitate, qua contra nos in sua contendit Apologia? Satis ei esse debuerat, Confessionem suam, quã sciebat à M. T. improbatam

 & reiectam

& reiectam, proterua rebellione, contra M. T. Edictum Vuormaciense, in publicum euulgasse, Contra quam à nobis nihil editum uidebat. Ita enim festinata fuit Confessionis illius editio, ut Augustam uenerit impressa, priusquàm solueretur M. T. decreto (quod Recessum uulgo dicimus) Principum statuumq; Imperij Conuentus. Quid igitur opus erat prolixa Apologia ulterius edenda, quum contra editam Confessionem nihil à nobis editum uideret?

7 At dolebat ipsi & Luthero suo, M. T. autoritate & decreto editum esse generalem Recessum, in quo secta eorum, iuste, iuxta & Bullæ Apostolicæ & Edicti Vuormaciensis tenorem, rursus damnatur. Quum autem sciant, M. T. tantæ esse & gratiæ & autoritatis apud omnes bonos, ut eam nullis uel conuitijs uel calumnijs infringere queant, fingunt nequiter ambo, cuncta peracta esse non solum præter & citra, uerum etiã contra & ultra uoluntatẽ tuam. Lutherus Teuthonice in seditiosis libellis suis, Philippus in hypocritica ista Apologia sua, idq; uersutia plusquàm uulpina, qua populis exosos reddere conantur non modo Theologos, aduersarios suos, uerum etiam Cardinales, Episcopos & religiosos Principes, quotquot nolunt fraudibus erroribusq; eorum assensum præbere. Quid igitur aliud est hypocrisis ista uersutæ blandiloquentiæ, quàm nouum decipiendi fomentum, nouum seditionis seminarium, nouum Satanæ (qui ex perditione pascitur animarum) pabulum, quo operarius iste subdolus transfigurat se
2.Cor.11. in Apostolum Christi, instar Satanæ qui se transfigurat in angelum lucis, ut eo plures ex Catholicis circumueniat ac deuoret, dum longo Rhetorices artificio persuadere satagit, nos contra eius Confessionem nihil neq; uere neq; digne respondere potuisse, eamq; proinde à M. tua inique, immo & impie reiectam fuisse, quum nihil aliud sit Lutheranis illa confessio, quàm uerum & syncerum Christi Euangelium, Vnde & factum sit, ut M. T, Euangelium (si eis credatur) Augustæ damnauerit.

8 Hæc est, Domine Imperator, & Lutherica & Philippica prudentia, qua circa cereuisiam Vuittenbergensem pergræcantes, fremunt in damnatores suos ac meditantur inania. De quibus sane Dominus in
Luc. 16. Euangelio ait, filij huius seculi prudentiores filijs lucis in generatione
Esa. 30. sua sunt. Et Propheta, Loquimini nobis placentia, uidete nobis erro-
Hier. 4. res, auferte à me uiam. Et alius item Propheta. Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt. Quamuis uero M. T. non modo rebelles, uerum etiam infensi & inimici existant, qui die no-

ctuq;

ctucq; cogitant, uarijsq; practicis moliuntur, fideles M. T. subditos populos in partem trahere suam, ac M. T. rebelles exemplo suo facere, uulpina tamen fraude & uirtutes tuas prædicant, & tuam in ipsos clementiam subdolis extollunt præconijs, quibus nituntur uel palpando te circumuenire, uel laudando tuos sibi conciliare Consiliarios, aut saltem populis persuadere, ut credant citra seu contra uoluntatem tuam ab inimicis eorum edita esse, quæcunq; hactenus à M. T. in eos sunt seuerissime publicata.

Nos autem eiusmodi fucis fumisq; & uersutijs eorum, opponimus sacrum M. T. os proprium, cuius sermo instar oraculi cunctis Nationibus habetur, sacram linguam, sacram manum, sacrum sigillum, sacras literas, sacrosancta Edicta tua, quæ sane omnia, certissima sunt mentis piæ & Catholicæ uoluntatis tuæ testimonia, quæ omnem eorum fumum, quo mendacia sua contegunt, uelut nebulam inanem dispescunt. Negare enim non possunt, quod tu ipse quoq; negare nequis, os linguamq; tuam Lutheri dogmata iam olim publice damnasse, hodieq; adhuc extare subscriptiones dextræ tuæ sacratiss. integra sigilla, quibus & Edicta & Recessus Imperiales, literæ & mandata complurima, euidenti confirmationis munimine ac documento, contra Lutheri sectam, sunt corroborata. 9

Desinant igitur improbæ uulpes M. T. falsis ficto corde palpare laudibus, quæ pietati tuæ neq; gratæ neq; honorificæ esse possunt, sed dicant potius aperte, quid sentiant de Originali peccato. At scripserunt alibi tam absurde & impie de illo, ut quamlibet impudentes existant, uereantur tamen in oculis M. T. talia uel uoce proferre uel scriptis exhibere. Quanquam uero & mihi non libet ea coram M. T. pronunciare, compellit me tamen improba eorum hypocrisis, breuem ea de re Catalogum ex scheda recitandum exhibere.

Recita. 10

SCRIBA. Errores Lutheri de peccato Originali.

I In puero post baptismum negare remanens esse peccatum, est Paulum & Christum simul conculcare. *Luth. in assertione art. 2.*

II Vere in omnibus peccatum est concupiscentia, sed non debet regnare.

III Hoc malum furens & indomitum, baptismate incipit tolli, durat tamen usq; ad mortem carnis, licet in alijs minus, in alijs magis.

IIII Parabola de Samaritano, qui semiuiuum non subito sanauit, sed

ſed alligauit tantum & ſanandum ſuſcepit, nonne oſtendit, neminem ſubito ab omnibus peccatis ſanum factum?

V Qui aduenire regnum Dei petit, certe ſeruum Diaboli ſe ex parte confitetur.

VI Si ſola nos uerbi controuerſia haberet, facile admitterem, ut defectum uocarent quicquid id eſt mali, quod in nobis relinquitur. Verum quod defectum ſic appellant, ut peccatum eſſe negent, & non culpam, ſed pœnam tantum peccati eſſe uelint, admittere non poſſum.

VII Si ergo huic reſiſti debet, oportet ut peccatum ſimpliciter hic accipiatur pro uero peccato, aut eludemus totius ſcripturæ autoritatem.

VIII Quomodo perſuaſiſſet Apoſtolus, intentiones & opiniones cordis peccata eſſe ijs qui nondum perſuaderi uolunt, concupiſcentiam eſſe peccatum, & contra craſsiſsimum ſenſum experientiæ, & apertiſsimam legem ſapiunt?

IX Rurſum dicent. At nos reatum hunc proprie uocamus peccatum, non illud quod remanet. Reſpondeo. In re iſta ſeria & ſacra, non licet argutijs ſophiſticis cauillari, quibus effingunt, reatum eſſe reſpectum inter Deum & peccatorem, quo hic deputatur ad pœnam.

X Fauor Dei nos ſuſcipit & ſuſtinet, non imputans ad mortem quod reliquum eſt peccati in nobis, licet uere peccatum ſit & imputari poſsit.

XI Ita ſimul uerum eſt, Iuſtum non peccare, & tamen peccatum habere ſeu malum facere.

XII Quare perſeuerandum eſt in uſu ſcripturæ & antiquorum, & non defectum, ſed uere peccatum appellandum, libidinem & alias paſsiones reliquas baptiſmo.

XIII Et aliud eſt, omnia peccata remitti, aliud omnia tolli. Baptiſmus omnia remittit, ſed nullum penitus tollit, ſed incipit tollere.

XIIII Sed & eo peruenerunt inſaniæ, ut etiam libidinem inuitabilem parentum ſanctorum, dum generant, quantumuis indomitam & ſummo inuictoq; furore contra legem Dei concupiſcentem, defectum uocare ſint coacti. Hoc eſt uere nimis extenuare peccatum, dicere tam atrocem libidinis impetum eſſe defectum.

Fomes

XV Fomes peccati, etiam si nullum assit actuale peccatum, moratur à corpore animam ab ingressu cœli. *Ibidem art. 3.*

XVI Quamuis hanc conclusionem sæpius testatus sim non assertam sed disputatam, tamen iam non disputo sed assero eam.

XVII His addo, quod illi fingunt, & ego per impossibile posui, fomitem esse posse sine peccato actuali, cum assidue lex membrorum captiuet & repugnet legi mentis, ut Paulus conqueritur.

XVIII Vnde fit, ut cum ipsimet concedant actuale peccatum morari ab introitu cœli, cogentur concedere, quod & fomes moretur, qui origo uiuacissima & inquietissima actualium peccatorum est.

XIX Omitto hic dicere, quod Originale peccatum, ut omnia peccata, ita & incredulitas est.

XX Ideo fomes uere est actuale peccatum, actualis priuatio siue defectus eius rei quæ adesse debet, & actualis positio seu præsentia infirmitatis & aliorum affectuum qui deesse debent.

XXI Sumus ergo partim iusti, partim peccatores, hoc uno salui, & ab impijs discreti, quod peccatum agnoscimus, confitemur & expugnamus, cui illi potius obediunt.

Hic M.T. Imperator suppliciter oro, ut hos 21. articulos, quos ex uno Lutheri libello haud ita prolixo (reliquis interim breuitatis gratia omissis) excerpsi, examinandos tradas quibuslibet in Regnis tuis aut in aliorum Regum Principumque prouincijs Theologiæ professoribus, ut ab eis super hac contentione nostra iudicium, ac ueritatem audias & cognoscas.

Quod si eos approbauerint, calumniatoris profecto crimen ultro agnoscam, & de eo sententiam libenter excipiam: Si uero reprobauerint, inde sane intelliges, quid Philippus iste & audire & pati mereatur, qui de tam absurdis & impijs erroribus & Lutherum suum impie excusare, & nos nequiter calumniari publice ad M. T. non ueretur, Incusans nos etiam in eo, quod asserimus, hunc articulum, qui primo loco supra recitatus est, nempe, Peccatum originis manere post baptismum, iure damnatum esse à Papa Leone X. In quo M. T. manifestam calumniam deprehensiuam esse affirmat, Quia Lutherus semper ita scripserit, quod Baptismus tollat reatum peccati originalis, etiam si materiale peccati maneat, uidelicet concupiscentia. At impudens hoc eius mendacium manifeste conuincitur ex plærisque supra cõmemoratis Lutheri articulis, præsertim uero ex 2. 7. 10. 12. 14. 15. 18. II

In quibus apertissime affirmat, post baptismum quoq; manere in nobis uere peccatum, reatum & culpam, non defectum aut pœnam ut nos dicimus. Ait Philippus, Lutherum semper scripsisse, quod baptismus tollat reatum peccati Originalis, at constat hic ex articulo. 13. illum sic dicere, Baptismus omnia peccata dimittit, sed nullum penitus tollit, sed incipit tollere.

Addit & aliud insigne mendacium, nempe, ad eundem modum, quo de peccato Originali loquitur Lutherus, & Augustinum loqui, Et cum Augustino expostulandum esse, si quid habeat incommodi hæc Lutheri sententia. Et quod adhuc impudentius est, ait, citra controuersiam sic sentire patres. At extant libri & B. Augustini & aliorum patrum, ex quibus citra controuersiam contrarium ostenditur, Quemadmodum iampridem bene prolixis disputationibus contra Lutherum ostendimus Episcopus Roffensis, Ambrosius Catharinus & ego. Ad quas hactenus per tot annos nihil Philippus, nihil Lutherus, nihil Lutheranorum quispiam respondit, tacite confitentes nobis errores & mendacia sua.

12 Peccatum. Cumq; fallant & fallantur in æquiuoco & uaria significatione huius uocabuli, Peccatum, nos diligenter ex scripturis recitauimus diuersas peccati acceptiones, Roffensis quatuor, Catharinus quinq;, ego ad maiorem declarationem octo. Quas sane omnes Lutherus tam fatue quàm impie in unam confundit. Ait itaq; Roffensis. Quis non perspicit, quantum uel inscitia uel malitia Lutherus aberrauerit, qui tam uarias acceptiones in unum confundere molitur? Et Catharinus. Per hæc igitur patere possunt stultitiæ hominis, qui in seipso confusus, & uarias istas acceptiones ignorans, eo prolapsus est, ut non intellexerit Pauli & scripturæ morem, uarie peccatum accipiendo. Et ego. Ecce (inquam) quanta esset absurditas, si peccatum uno tantum sensu in scripturis acciperetur, Quandoquidem sequeretur diuersissimarum rerum Babylonica quædam confusio, si sub eadem interpretatione diceretur peccatum, Actus malus, Reatus, macula, culpa originalis, pœna, fomes, Christus, Diabolus. Nam una hæc uox peccatum in scripturæ diuersis locis hæc octo significata habere dinoscitur.

Roffen. cõtra 2. art. Assertionis Lutheri. Catharinus in excusatione disputationis. Coch. de bap. paruulorũ & de fomite peccati.

Vides itaq;, Auguste, uulpinam hic Philippi huius fraudulentiam, qua sui Lutheri exemplo, simplices, peccati æquiuocatione circumuenire nititur, dum contendit à Paulo peccatum dici concupiscentiam, etiam in baptizatis, Quod nos sane ultro iampridem concessimus & declarauimus, in ea scilicet acceptione peccati, qua peccatum dicitur,

non actus malus, aut reatus, aut culpa, aut macula peccati, sed pronitas & inclinatio ad peccandum, quam fomitem peccati dicimus, sed non proprie aut uere peccatum, cui culpa insit & legis præuaricatio, ut Lutherus impie contra baptizatos paruulos contendit.

Quando igitur & Lutherus in Assertione, & Philippus hic in Apologia sua, producit Paulum Rom. 7. dicentem. Concupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi lex diceret, Non concupisces. Ego iam olim respondi, & peccatum & concupiscentiam in scripturis æquiuoce & uaria significatione accipi, Non omnem concupiscentiam peccatum esse, cum quædam bona & laudabilis concupiscentia sit, Qua concupiscit anima in atria domini, concupiscit iustificationes & mandata Dei, concupiscit salutare Dei, concupiscit sapientiam & sermones eius &c. Concupiscentiam autem, quam lex prohibet, esse peccatum primo modo, quo male concupiscitur uxor, domus aut bos proximi. Eam uero concupiscentiam, quæ fomes dicitur, esse peccatum sexto modo, cui nulla inest culpa post baptismum, nisi in malum, ad quod illa stimulat, consentiat uoluntas. De quo sane stimulo carnis dictum est Paulo à Domino, Sufficit tibi gratia mea, Virtus in infirmitate perficitur. Si uero consenserit uoluntas, fit peccatum proprie dictum, ut est apud B. Iacobum. Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum. 13 Concupiscẽtia Psal. 83. et 118. Eccli. 24. Sap. 6. 2. Cor. 12. Iac. 1.

Non ualet igitur eorum argutia, qua dicunt, Scripturæ clare appellant concupiscentiam peccatum, ergo ipsa est uere peccatum, uere culpa, uere præuaricatio legis. Quia argutia ista peccat in æquiuoco. Perinde ac si dicerent. Scriptura clare appellat Christum peccatum 2. Cor. 5. ergo Christus uere peccatum est, cui culpa inest & præuaricatio. Clare enim ait Apostolus. Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit Deus. Quoniam uero falso gloriantur de Augustino, quod in eadem cum ipsis sit sententia, dabis mihi pro clementia tua Cæsar ueniam, si aliquanto prolixius, quàm coram M. T. par est, pium ac sanctum Doctorem ecclesiæ Augustinum ab impietate & calumnia ista, pie ac solide ex ipsiusmet Augustini uerbis asseruero Quod ut commodius absq; omni de falso aut suppositittio suspicione fiat, uerba eius ex scheda M. T. recitanda exhibeo. 14 2. Cor. 5.

Recita. 15

SCRIBA. Verba B. Augustini de concupiscentia. Aug. ad Bonifacium Papam lib. 1. c. 13.

I Dicimus enim baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina non radere. Nec ut omnium pecca-

torum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum resecanda peccata.

II Cum concupiscentia carnis necesse est ut etiam baptizatus, & hoc si diligentissime proficit & spiritu Dei agitur, pia mente confligat, Sed hæc, etiam si uocatur peccatum, non utiq; quia peccatum est, sed quia peccato facta est sic uocatur: Sicut scriptura manus cuiusq; dicitur, quia manus eam fecerit.

III Et ista ipsa carnis concupiscentia in baptismo sic dimittitur, ut quanquam tracta sit à nascentibus, nihil noceat renascentibus, & insit, nihil obfutura uitæ futuræ, quoniam reatus eius, generatione tractus, regeneratione dimissus est.

IIII Et ideo iam non sit peccatum, sed hoc uocetur, siue quod peccato facta sit, siue quod peccandi delectatione moueatur, etsi ei uincente delectatione iustitiæ non consentiatur.

V Nec propter ipsam, cuius iam reatus ex lauacro regenerationis absumptus est, dicunt baptizati in oratione, Dimitte nobis debita nostra, sed propter peccata quæ fiunt siue in eius consensionibus, siue cum per ignorantiam malum quasi bonum placet.

VI Multi quippe baptizati fideles sunt sine crimine, sine peccato autem in hac uita neminem dixerim, non quia peccati aliquid remaneat quod in baptismate non remittatur, Sed quia in nobis, in huius uitæ infirmitate manentibus, quotidie fieri non quiescunt, quæ fideliter orantibus & misericorditer operantibus quotidie remittuntur. Et alibi.

Aug. cōtra Iulianum lib. 3. c. 14. VII Omnes homines iudicant lasciuiæ insolentiam non esse peccatum, nisi quia concupiscentiæ consentitur. Nullum ne igitur malum, cui consentiendo peccatur?

Ibidem c. 15. VIII Omnino enim in genere suo nuptiæ bonum sunt, sed ideo bonum, quia fidem thori seruant, quia prolis suscipiendæ causa sexum utrunq; commiscent, quia impietatem separationis exhorrent.

Ib. c. 21. IX Quæ sunt autem sanctarum uirginum, sicut appellas, gloriosa certamina, nisi quod non uincuntur à malo, sed uincunt in bono malum?

X Habet enim palmam de huius mali subiectione, quamuis minorem, pudicitia etiam coniugalis.

XI Eo malo coniuges castos dico bene uti, adulteros male. Con-

tinentiam

tinentiam melius eo non uti ambo dicimus, sed ego eo malo, tu eo bono.

XII Et nuptias non dico malas, sed bene uti malo, quas tu dicis bene uti bono, bonam esse dicens concupiscentiam carnis, quam tamen in te debellando malum esse conuincis. Et iterum in alio loco.

XIII Illud præcipue attendere ac meminisse debemus, tantummodo peccatorum omnium plenam perfectamq; remissionem baptismo fieri, hominis uero ipsius qualitatem non totam continuo commutari. *Aug. de peccatorum meritis & remiß. lib. 2. c. 27. & 28.*

XIIII Hæc autem lex peccati, quod etiam peccatum appellat Apostolus, non sic manet in membris eorum qui ex aqua & spiritu renati sunt, tanquã non sit eius facta remissio, ubi omnino plena & perfecta fit remissio peccatorum, omnibus inimicitijs interfectis, quibus separabamur à Deo, sed manet in uetustate carnis tanquam superatum & peremptum, si non illicitis consensionibus quodammodo reuiuiscat, & in regnum proprium dominationemq; reuocetur.

XV Veruntamen sicut ipsa carne, quamuis corruptibili, bene utuntur, qui membra eius ad opera bona conuertunt, in qua carne non sunt quia non secundum eam sapiunt neq; uiuunt. Sicut deniq; etiam morte, quæ primi peccati pœna est, bene utuntur, qui eam pro fratribus, pro fide, pro quacunq; uera & sancta iustitia fortiter & patienter impendunt. Sic illa etiam lege peccati, quod iam remissum in uetustate carnis manet, bene utuntur coniugati fideles, qui ex eo quod sunt in Christi nouitate, dominari sibi libidinem minime patiuntur.

Longum foret, Imperator, cuncta B. Augustini testimonia, ex reliquis eius libris & operibus commemorare, quæ recitatis supra Lutheri de concupiscentia dogmatibus ex diametro contraria sunt, sed data opera ex ijs tantum libris locos quosdã produxi, in quibus maxime contra concupiscentiam, propter Pelagianos, inuehi cogebatur, eo quod Pelagiani peccatum originale penitus negarent, & concupiscentiam, non morbum uitiumue aut pœnam peccati atq; defectum, ut nos dicimus, sed rem bonam & naturalem dicerent. Et tamen sic regiam mediamq; uiam ueritatis inter contrarios Manicheorum ac Pelagianorum errores tenuit B. Augustinus, ut neq; carnis naturam diceret malam aut à malo principio creatam, ut dicunt Manichæi, 16

neqꝫ peccatum originale negaret neqꝫ concupiſcentiam carnis diceret rem bonam cum Pelagianis. Sed multo adhuc magis diuertit à fœdiſsimis præcipitijs Lutheri, qui ſic ponit peccatum Originale, ut neqꝫ baptiſmo tollatur, neqꝫ in uita ullum deinceps opus bonum ſine peccato fieri ſinat, inſuper & in morte animam ab ingreſſu cœli remoretur. Has & id genus plures funeſtas & barbaras Lutheri impietates audet coram M. T. Philippus iſte impudentiſsima calumnia adſcribere B. Auguſtino, tanquam is idem ſentiat quod Lutherus. Vt autem grauis hæc calumnia, quæ prorſus impia eſt & intolerabilis, maniſeſtior appareat, breuem utriuſqꝫ dictorum, quæ recitata ſunt, collationem facere libet, ut contrarietas ex oppoſitione ſententiarum utriuſqꝫ, euidentior fiat.

17 *Contrarietas inter Aug. & Luth.* Etenim Auguſtinus ait, Baptiſma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere: Lutherus uero ait, Baptiſmo quidem remitti omnia peccata, nullum uero tolli, hoc eſt auferri. Deinde, Auguſtinus negat concupiſcentiam in baptizatis peccatum eſſe, licet peccatum uocetur. Lutherus autem ſic facit eam peccatum, ut qui eam peccatum eſſe neget, is Paulum cum Chriſto ſimul conculcet. Tertio, Auguſtinus ait eam nihil nocere renaſcentibus, & licet inſit renatis, nihil obfuturam uitæ futuræ. Lutherus autem ſic eam renatis obeſſe aſſerit, ut omne bonum opus iuſtorum inficiat peccatumqꝫ reddat, & in futura uita ab ingreſſu cœli animam remoretur. Quarto. Negat Auguſtinus propter ipſam à baptizatis in oratione dici, Et dimitte nobis debita noſtra. Id uero Lutherus maxime affirmat, adeo, ut baptizatum etiam Diaboli (cui tamen in baptiſmo abrenunciauit & omnibus pompis eius) ſeruum ex parte confiteatur. Quinto, Negat Auguſtinus laſciuiæ inſolentiam peccatum eſſe niſi concupiſcentiæ conſentiatur. Lutherus uero affirmat etiam repugnantem peccare, & in pueris quoqꝫ, qui neqꝫ libidinem neqꝫ pugnam ſentiunt, uere peccatum remanere. Sexto, Auguſtinus nuptias ait eſſe bonas, quia prolis ſuſcipiendæ cauſa utrunqꝫ ſexum commiſcent, & malo (id eſt concupiſcentia) utuntur bene. Lutherus uero nos inſanire dicit, dum ponimus ineuitabilem ſanctorum parentum libidinem, dum generant, non eſſe peccatum aut culpam, ſed pœnam & defectum.

Poſſent quidem plures commemorari contrarietates, quibus circa peccatum Originale Lutherus diſcordat, non ſolum à B. Auguſtino alijsqꝫ ſanctis patribus, uerum etiam à ſeipſo (quemadmodum ego in

ſepticipite

septicipite Luthero, ubi de baptismi sacramento & de baptismo paruu- *Septiceps ca. 17. & 18.*
lorum agitur, luculenter ostendi) & à primis præcipuisque complicibus
suis Carolstadio, Zuinglio, Bucero &c. Sed antilogiæ eius iam uulgo
notiores sunt, quàm ut necessariũ uideri queat, multa de eis hic dicere.
Magis igitur expedit, ut contra Philippi mendacia, qui defendendi
Lutheri sui gratia, in paruulis baptizatis peccatum remanere conten-
dit, aliquot scripturæ sacræ locis, antiquam ueritatem & receptam Ec-
clesiæ sententiam confirmemus, Quos sane pro maiore promerenda
fide conscriptos ex scheda recitandos trado.

Recita. SCRIBA. 18

Loci scripturæ de Baptismo, quo omnia peccata abluuntur.

I Reuersæ sunt aquæ, & operuerunt currus & equites cuncti ex- *Exo. 14.*
ercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare, nec unus
quidem superfuit ex eis. Filij autem Israel perrexerunt per me-
dium sicci maris, & aquæ eius erant quasi pro muro à dextris &
à sinistris.

II Omnis qui tetigerit humanæ animæ morticinum, & aspersus *Num. 19.*
hac commixtione non fuerit, polluet tabernaculum domini, &
peribit ex Israel, Quia aqua expiationis non est aspersus, immun-
dus erit, & manebit spurcitia eius super eum.

III Misitque ad Naaman Syrum Eliseus nuncium dicens. Vade & *4. Reg. 5.*
lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua, atque mun
daberis. Et infra. Descendit & lauit septies in Iordane iuxta ser-
monem uiri Dei, & restituta est caro eius, sicut caro pueri paruuli
& mundatus est.

IIII Hæc dicit Dominus, faciens & formans te ab utero auxiliator *Esa. 44.*
tuus. Noli timere serue meus Iacob, & rectissime quem elegi. Ef-
fundam enim aquas super sitientem, & fluenta super aridam. Ef-
fundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem
meam super stirpem tuam, & germinabunt inter herbas, quasi sa-
lices iuxta præterfluentes aquas. Iste dicet, Domini ego sum.

V Me dereliquerunt fontem aquæ uiuæ, & foderunt sibi cisternas *Hiere. 2.*
dissipatas quæ continere non ualent aquas.

VI Et effundam super uos aquam mundam, & mundabimini ab *Ezech. 36.*
omnibus inquinamentis uestris, & ab uniuersis idolis uestris mun
dabo uos, & dabo uobis cor nouum, & spiritum nouum ponam
in medio uestri, & auferam cor lapideum de carne uestra, & dabo
uobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio uestri, &

faciam

faciam ut in præceptis meis ambuletis.

Matth.3. VII Ego quidem (inquit Iohannes baptista) baptizo uos in aqua in pœnitentiam. Qui autem post me uenturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calciamenta portare, Ipse uos baptizabit in spiritusancto & igne.

Mar.16. VIII Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.

Ioh.13. IX Qui lotus est non indiget nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus.

Paulus ad Ro.6. X Quicunq; baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem. Et paulo post. Hoc scientes, quod uetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non seruiamus peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato.

1.Cor.6. XI Et hæc aliquando quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Et infra. An nescitis quoniam membra uestra templum sunt spiritus sancti qui in uobis est, quem habetis à Deo & non estis uestri, empti enim estis precio magno, Glorificate & portate Deum in corpore uestro.

Gal.3. XII Omnes enim filij Dei estis per fidem in Christo Iesu. Quicunq; enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.

Act.2. XIII Quid faciemus, uiri fratres? Petrus autem ad illos, Pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur unusquisq; uestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum uestrorum, & accipietis donum spiritus sancti.

Act.19. XIIII His auditis, baptizati sunt in nomine domini Iesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, uenit spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis & prophetabant.

1.Pet.3. XV In diebus Noæ cum fabricaretur Arca, in qua pauci, id est, octo animæ saluæ factæ sunt per aquas, Quod & uos nunc similis formæ saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum, per resurrectionem Iesu Christi à mortuis.

Ex his quinquies ternis locis (quorum tres ex ueteri lege, tres ex Prophetis, tres ex Euangelijs, tres ex Paulo, tres deniq; ex alijs Canonicis noui Testamenti scriptis excerpti sunt) clarum profecto & fidelibus indubitatum est, baptismo ablui ac deleri omne peccatum tam actuale quàm originale. Et ij scripturæ loci non temere ex proprio sensu

sensu meo adducti sunt, sed ab antiquis autoribus, ijsq; probatissimis in hanc sententiam producti, ut est uidere summatim in Decretis, atq; etiam in ijs quæ ego ante annos nouem produxi, dum in Lutherum scriberem de gratia sacramentorum, de baptismo paruulorum, & de fomite peccati. *1.q.1.per totũ. Et de cõsecra. dist.4.c. Nec quenquam.*

Ad quos sane libros hactenus nihil iuste responsum est ab aduersarijs, nisi quod Lutherus ridiculo quodam libello contra me inuectus barbaris ac miseris Anabaptistis, grauissimi erroris ansam dedit, ubi scripsit, Paruulos prorsus non esse baptizandos, si uerum sit, eos in baptismo non credere, ne illudatur Maiestatis sacramentum & uerbum, Atq; sophistas in hoc docere contraria, dum negant paruulo esse fidem, & tamen ut baptizari possit, exigunt ab eo fidem. Ante hæc Lutheri uerba nullus erat apud Christianos Anabaptista, Post uero sic exorti sunt, ut nullis queant supplicijs aut mortibus absterreri. 19 *Luth. contra Io. Cochleum.*

Nos autem potius cum B. Augustino dicimus, & Luthero simul cum omnibus Anabaptistis ita respõdemus, Si propterea pœnitentes dicendi non sunt paruuli, quia sensum pœnitendi nondum habent, Nec fideles dicendi sunt, quia similiter sensum credendi nondum habent. Si autem propterea recte fideles uocantur, quoniam fidem per uerba gestantium quodammodo profitentur, Cur non prius etiam pœnitentes habentur, cum per eorundem uerba gestantium Diabolo & huic sæculo renunciare monstrantur? Totum hoc in spe fit, ui sacramenti & diuinæ gratiæ, quam Dominus donauit Ecclesiæ. Et infra. An uero & hoc quæsituri, & de hoc disputaturi, & tempus ad hoc impensuri sumus, ut probemus atq; doceamus, quomodo per propriam uoluntatem, sine qua nullum uitæ propriæ potest esse peccatum, nihil mali commiserint infantes, qui propter hoc uocantur ab omnibus innocentes? Nonne tanta infirmitas animi & corporis, tanta rerum ignorantia, tam nulla omnino præcepti capacitas, nullus uel naturalis uel conscriptæ legis sensus aut motus, nullus in alterutram partem rationis usus, hoc multo testatiore silentio quàm sermo noster proclamat atq; indicat? Valeat aliquid ad seipsam persuadendam ipsa euidentia. Nam nusquam sic non inuenio quid dicam, quàm ubi res de qua dicitur manifestior est quàm omne quod dicitur. Et rursus. Illas inquam consyderemus tenebras mentis, utiq; rationalis, in quibus & Deum prorsus ignorant, cuius sacramentis etiam cum baptizantur obsistunt. Et iterum. In paruulis certe gratia Dei per baptismum eius, qui uenit in similitudinem carnis peccati, id agitur, ut euacuetur caro 20 *Aug. de peccatorum meritis & remiss. lib. 1.c.19.* *Ibidem c.35.* *C. sequen.* *C.39.*

peccati. Euacuatur autem, non ut in ipsa uiuente carne concupiscentia conspersa & innata, repente absumatur & non sit, sed ne obsit mortuo quæ inerat nato. Hæc B. Augustinus.

Quoniam uero primus ex adductis scripturæ locis, de submersis Aegyptijs, literaliter & in superficie de baptismi gratia & peccatorum ablutione non uidetur loqui, opus est, ut ei aliquid lucis aliunde adiungamus. Certe S. Paulus tangit hoc mysterium, quando ait. Nolo enim uos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari. Clarius exponit B. Cyprianus, quem allegat Gratianus in Decretis, ubi de baptismo agitur. Clarissime probat inde B. Gregorius Papa, in baptismo deleri funditus omnia prorsus peccata, ita ut omnino nullum remaneat. Certe (inquit) maris rubri transitus figura sancti baptismatis fuit, in quo hostes à tergo sunt mortui, sed alij contra faciem in heremo inuenti. Sic quippe omnes, qui in sancto baptismate tinguntur, eorum peccata præterita omnia laxantur. Quia eis uelut Aegyptij hostes à tergo moriuntur. Qui ergo dicit, peccata in baptismo funditus non dimitti, dicat Aegyptios in mari rubro non ueraciter mortuos. Si autem fatetur Aegyptios ueraciter mortuos, fateatur necesse est, peccata in baptismate funditus mori. Quia nimirum plus ualet in absolutione nostra ueritas quàm umbra ueritatis. In Euangelio Dominus dicit. Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus. Si igitur peccata in baptismate funditus minime dimittuntur, quomodo is qui lotus est, mundus est totus? Totus enim mundus dici non potest, cui de peccato aliquid remansit. Sed nemo resistit uoci ueritatis, Qui lotus est, mundus est totus. Nihil ergo de peccati sui contagione remanet, quem totum fatetur mundum ipse qui redemit. Hæc Gregorius.

1. Cor. 10. — *De conse. dist. 4. c. Nec quenquam.* — *Grego. in registro lib. 9. epistola. 39.* — *Ioh. 13.*

Hinc facile intelligit M. T. Imperator, 21. articulos, supra recitatos, quos impie & asserit Lutherus & defendit Philippus, manifeste resistere uoci ueritatis, dum in puero baptizato remanere peccatum affirmant, ne mundus sit totus, eosq; per hanc impietatem conculcare, non solum Christum & spiritum sanctum in paruulis baptizatis, uerum etiam Paulum cum lege simul & prophetis, ut ex XV. locis iam recitatis cognoscere licet. Vbi ait scriptura. Nec unus quidem superfuit ex eis. Vbi Naaman leprosi restituta est in Iordane caro, sicut caro pueri paruuli & mundatus est, Vbi spiritus & benedictio Dei effunditur. Vbi est fons aquæ uiuæ, Vbi est aqua munda qua mundantur paruuli

Exo. 14. & Psal. 105. — *4. Reg. 5.* — *Esa. 45.*

tur paruuli

tur paruuli ab omnibus inquinamentis suis, Quia baptizantur in spiritu sancto & igne, in morte Ihesu Christi, cum illo consepulti per baptismum, & iustificati à peccato, facti templum spiritus sancti, portantes Deum in corpore suo, induti Christum, habentes donum spiritus sancti, charitatem, in cordibus suis per spiritum sanctum diffusam, quæ operit multitudinem peccatorũ. Contra tot apertas & potentes Christi & spiritus sancti uoces contendunt adhuc cæco furore & impudenti fronte Lutherus & Philippus, ut contra Christi & spiritus sancti uirtutem & ueritatem probent in paruulis baptizatis remanere uere peccatum, quod uere sit culpa & præuaricatio legis Dei.

Hiere. 2. Ezech. 36. Matth. 3. Rom. 6. 1. Cor. 6. Gal. 3. Act. 2. 1. Pet. 4.

Eat nunc Philippus iste in conspectum M. T. & dicat articulum 23 illum Lutheri de pueris à Leone X. non iure damnatum, nosq; manifestam in hoc struere calumniam Luthero, quia de peccato originali nihil male scripserit, dicat nos rem improbare non posse, uerba tamen calumniari, ut hoc artificio innocentem opprimamus. O innocentem hominem, cuius scelera longo sane Catalogo M. T. ante annos X. publice commemorauit ac damnauit in Edicto Vuormaciensi, atq; uti de reliquis eius in patriam & religionem nostram seditiosis & impijs machinationibus, quas interim per X. annos sacrilegis ausibus parricidaliter perpetrauit. Ego certe ante annos nouem in hoc ipso articulo de pueris, manifeste conuici & ostendi illum crudeliorem esse beluina ferocitate infanticidam, quàm fuit in proprios filios Medea, quàm fuit in masculos infantes Hebræorum Pharao rex Aegypti, quàm deniq; fuit in bimulos & minores infantes Bethlehem immanissimus parricida rex Herodes. Illi enim corpora tantum infantulorum peremerunt, Lutherus uero impietate ultra omnes & parricidas & bestias ferus & efferatus, in animas innocentum sæuire non est ueritus. Quas sane nos aliena culpa originali peccato obnoxias, credimus baptismo emundari totos, ita ut nullum prorsus peccatum in eis remaneat, sed sint sanctissima templa spiritus sancti. Lutherus uero sic alligat innocentum animas peccato, ut non solum dicat in baptizatis remanere peccatum, uerum etiam à cœli ingressu per eiusmodi peccatum conatur insontum animas per mortem à carne solutas, uelut Rhadamantus quidam inexorabilis, arcere, & in nescio quod exilium propter peccati fomitem relegare. O immanitatem nefandissimam & plusquàm ferinam aut lestrigonicam. Nam neq; Lestrigones neq; feræ tam immites sunt infantibus quàm est excucullatus Monachus iste.

Phil. in Apologia.

24 Qui & Anabaptistas in odium iniuriamq; & perniciem infantium irreparabilem irreuocabili pertinacia furentes incitauit, ut non solum non baptizent infantes suos, uerum etiam adultos, qui in infantia baptizati fuerunt, rebaptizare, contra Paulum & omnem Ecclesiam, non formidant, Ex ea nimirum ratione Lutherica, quia dicunt hominem sola fide iustificari, non sacramentis. Quoniam Lutherus asserit, hæreticam esse sententiam, sacramenta nouæ legis dare gratiam ijs qui non ponunt obicem. Cum igitur infantes (quandoquidem usum rationis non habent) fidem propriam non habeant, sed baptizentur in fide Ecclesiæ, ideo Anabaptistæ eos baptizare non uolunt. Et hic est speciosus fructus Luthericæ doctrinæ de pueris & originali peccato, quam hic M. T. commendare ac defensare, & quidem cum graui calumnia & iniuria nostri, non erubescit Philippus, qui tamen seipsum circa hunc articulum ab impietate defendere non potest. Quod ut M. tuæ manifestius fiat, aliquot eius articulos ex scheda recitandos propono, ut siquis mihi talia de illo dicenti non crederet, ipsi saltem credat de seipso. In cuius sane libris scriptum inueniet, quicquid in scheda conscriptum uidebit.

Heb.6.

25 Recita.

SCRIBA, Errores Philippi de peccato Originali.

Phil. in Anno. Rom.5.

I Peccatum originale est natiua propensio naturæ humanæ ad peccandum, irrogata nobis per inobedientiam, atq; hæc maledictio est generis humani.

II Hinc dicimur nasci filij iræ & mortis, quia nascimur peccatores, id est, habentes uim & propensionem natiuam ad peccandum.

III Sed dices. Quomodo baptismus delet Originale peccatum, cum non deleat propensionem ad peccandum? Respondeo. In Originali peccato duo sunt consyderanda, Imputatio peccati quam reatum uocant, & peccatum ipsum seu ipsa propensio. Imputatio tollitur, peccatum manet.

IIII Ergo natura nihil potest nisi peccare, aliâs etiam Adam propagasset iustitiam.

Cap.6. V Porro Paulus dicit, Caro concupiscit aduersus spiritum, Ergo non potest carnis uocabulũ nisi de tota hominis natura intelligi.

Cap.7. VI Non uidemus in nobis concupiscentiam nostram, sunt quidem intus intra nos uariæ libidines & odium Dei & legis Dei, quæ non uidemus.

Ex ista

VII Ex ista conflictatione (scilicet carnis & spiritus) satis clare intelligi potest, omnia, sanctorum etiam, opera peccata esse.

VIII Iam quia aduersatur spiritui natura, sequitur quod peccet. Tantum ibi peccati est, quantum natura retrahit & moratur spiritum.

Et in alio loco.

IX Scriptura non uocat hoc originale, illud actuale peccatum. Est enim & originale peccatum plane actualis quædam praua cupiditas. **Phil. in Locis communibus, de peccato.**

X Itaq; cum tradunt sophistæ, Peccatum originale esse iustitiæ originalis carentiam, sic loquuntur ipsi, recte dicunt, sed cur non addunt, quod ubi non est originalis iustitia seu spiritus, ibi esse reuera carnem, reuera impietatem, reuera contemptum rerum spiritualium.

XI Augustinus in hac disputatione, scilicet de peccato Originali, potissimum regnat, ita ut cætera fere, quæ præter Pelagianam causam scripsit, frigidiora uideantur.

XII Minore negocio Pelagiani ueteres reuelli possunt, quàm nostrorum temporum noui Pelagiani, Qui etsi non negent esse peccatum originale, negant tamen eam esse uim peccati originalis, ut omnia hominum opera, omnes hominum conatus sint peccata.

XIII Viuax quædam energia est peccatum originale, nulla non parte nostri, nullo non tempore fructum ferens, uitia.

XIIII Quando enim hominis animus non æstuat malis cupiditatibus, In quibus quæ teterrimæ ac fœdissimæ sunt, ne deprehenduntur quidem.

XV Auaritiam, ambitionem, odium, inuidentiam, æmulationem, libidinum flammas, iram, quis est qui non aliquando sentiat? arrogantiam, fastum, tumorem pharisaicum, contemptum Dei, diffidere Deo, blasphemiam, principes affectus rari sentiunt.

XVI Et sophistas nostros nondum pudet docere operum iustitiam, docere satisfactiones ac philosophicas uirtutes.

XVII Et cum hanc externam uirtutis personam ac laruam miretur tota humana ratio, pseudotheologi nostri, falsi cæco naturæ iudicio, commendarunt nobis philosophica studia, philosophicasq; uirtutes, & operum externorum merita.

XVIII Genesis viij. Sensus & cogitatio humani cordis praua, à pueritia. Hac germana lectione uti malebam, quod clarior sit, sim-

plicitér adfirmans hominem prauum esse. Ne quis mihi Thomista eludat Mosen, quod cum pronitas seu inclinatio non sit actus, non posit esse peccatū, sic enim philosophantur stolidi sophistæ.

XIX Nam impij, diuites, fortes, de quibus Esaias loquitur, plane sunt isti humanæ iustitiæ, liberi arbitrij, philosophicarum uirtutum, breuiter humanarum uirium adsertores, ignari Christi.

XX Hic sophistæ uocant carnem, adpetitum sensitiuum, obliti phraseos ac tropi scripturæ. Non enim corpus, partem hominis, sed totum hominem, tam animam quàm corpus, scriptura uoce carnis signat. Et quoties cum spiritu confertur, significat optimas naturæ humanæ ac præstantissimas uires citra spiritum sanctum.

XXI Itaq; carnis uocabulo utere & pro optimis humanæ naturæ uiribus, & pro pulcherrimis illius conatibus.

XXII Carnis fructus est, tam speciosa illa Socratis aut Catonis uirtus quàm Cæsaris parricidia. Tam carnis fructus sunt speciosissimæ Pauli uirtutes, quibus præditus erat, priusquàm Christum agnosset, quàm Clodiana adulteria.

XXIII Non possum hic mihi temperare, quin obiter indicem Christiano lectori fatuas, insulsas, & impias Sophistarum argutias, quibus probant, posse nos per uires naturæ diligere Deum.

XXIIII Neq; enim ex Deo ulla commoda sentiuntur, nisi per spiritum sanctum iam cor sit purificatum, & insculpta sit puro pioq; cordi Dei beneficentia.

XXV Atqui ubi conscientia perculit animum, iam ita auersatur & exhorret Deum, ut carnificem crudelem, & uindicem, & quod est atrociss. iniquum.

XXVI Metiebantur Theologastri peccatum Originale, non nisi externis operibus, interim animi maliciam, & uelut intercutem morbum non uidebant.

Quis hic quæso defensorem istum defendat? Nolo, Cæsar, eum acerbiore hic aggrauare dictorum reprehensione, sed opto magis ac precor, ut M. T. hos quoq; Philippi. 26 articulos (quos non anxie quæsitos è duobus tantum libellis eius produxi) cum superius commemoratis. 21. articulis Lutheri sui examinandos ac iudicandos tradat Theologis & Vniuersitatibus quibuslibet quarumlibet Nationum, Ea sane lege, ut si eos approbauerint, ego improbus habear calumniator innocentium: Si uero reprobauerint, M. T. agat cum hoc Philippo, ut desinat nos procaciter calumniari ac traducere, tanquam ca-

lumniatores

lumniatores & oppressores innocentis Lutheri. A cuius flagitijs & im-pietatibus nec ipse, qui talem defendit, immunis est.

Quinimmo iam olim reus factus multorum criminum, & ad M. tuam publice accusatus à doctissimo uiro Thoma Radino Todischo, atque etiam à paruitate mea de liberi arbitrij articulo duobus libris reprehensus, tacendo tot annis se ipse reum reprehensibilemque agnouisse uidetur. 26

Quod si ea quoque dogmata eius producerem, quæ de baptismo alicubi scripsit, non dubito, quin & ipse particeps iudicari possit illius sceleris, quo infoelicium Anabaptistarum errorem suscitauit Lutherus. Nam & Philippus illum simiæ instar imitatus pessime negauit uim & gratiam baptismi, soli fidei (quam infantes ante baptismum non habent) iustificationem tribuens, quando ait. In usu signorum foedissime erratur, Nam scholæ cum disputant, quid intersit inter sacramenta ueteris ac noui Testamenti, in sacramentis ueteris Testamenti negant uim fuisse iustificandi, Noui sacramentis tribuunt uim iustificandi, manifesto nimirũ errore, Sola enim fides iustificat. Item, Non iustificant signa, ut Apostolus ait, Circumcisio nihil est, ita Baptismus nihil est. Participatio mensæ Domini nihil est, sed testes sunt & sphragides diuinæ uoluntatis erga te. Et alibi. Baptismus (inquit) sine fide nihil est. At hæc est potissima miserorum Anabaptistarum ratio, quod pueros non baptizant, quia eiusmodi infantuli nondum credunt. 27

Phil. in Locis communibus, de signis.

In Annota. Matth. 3.

Nos autem dicimus, sufficere pueris ad baptismi gratiam fidem Ecclesiæ. Sicut enim grauantur alieno peccato, nempe præuaricatione Adæ, ita & aliena iuuantur fide, quandoquidem per sese (dum usu rationis carent) neque peccare neque credere possunt. Hanc nostram sententiam supra, partim scripturis, partim B. Augustini autoritate confirmauimus, quam & B. Cyprianus simul cum plurimis Episcopis, ad Fidum scribens corroborat. 28

Cypri. in epi. lib. 3. episto. 8.

Ex his itaque uidet sacratissima M. T. Religiose Imperator, quàm non solum intempestiua & inefficax, uerum etiam absurda & impia iudicari debeat hæc Philippi Apologia, quę tam immites sacrilegosque & erroneos articulos, quos ex Lutheri ipsiusque Philippi scriptis recitatos audisti, defendere præsumit, atque etiam impudenter affirmare audet, Lutheranorum sententiam de peccato Originali, nihil continere neque noui neque à fide ecclesiæ alieni. Quis enim ueterum docuit, quod peccatum Originale sit actualis quædam praua cupiditas? Quis item

docuit

docuit, peccatum Originale in baptizatis puerulis remanere? Carnis uocabulum non posse nisi de tota hominis natura intelligi? Et ubi caro conflictat aduersus spiritum, ibi carnem significare optimas ac præstantissimas humanæ naturæ uires citra spritum sanctum? Et quis præter eum paruulis, propter carentiam iustitiæ originalis adscripsit actualem impietatem & contemptum rerum spiritualium? Quis item propter originale peccatum dixit omnia hominum opera, omnes hominum conatus, etiam sanctorum, esse peccata? Quis præterea dixit, contemptum Dei, odium Dei, diffidere Deo, blasphemare Deum, auersari Deum uelut crudelem carnificem, esse principes hominum adfectus? Quis obsecro philosophorum (quos usq; adeo insectatur) & qui tanquam gentiles uere fuerunt in mortem usq; obnoxij peccato originali, docuit contemnere, odisse, blasphemare ac auersari Deum uelut carnificem crudelem uindicemq; iniquum? Quod si in philosophorum libris tam absurda & nefanda dogmata nusquam reperiuntur, quis credat ea reperiri in scriptis ueterum Ecclesiæ Doctorum patrumq; sanctorum?

29 Tanta tamen est huius defensoris ad M. T. procacitas & impudentia, ut non solum ueteres, uerum etiam recentiores, siqui cordatiores existant, affirmet idem de peccato originali docere, quod docet Lutherus & ipse. Et inter eos uel primo loco recenset hic S. Thomam, de quo tamen alibi scripserunt ambo, non minus calumniose quàm impie. Nimis profecto longum foret, omnes & contumelias & calumnias, quas passim in complurimis libellis, præsertim dum in Regem Anglię & in Ambrosium Catharinum scriberet, in hunc sanctum Dei hominem & solidum Ecclesiæ Doctorem euomuit Lutherus. Neq; Philippi cuncta in eum conuitia breuiter enumerari poterunt, ego hic exempli duntaxat gratia, ex una eius oratione, quam ante annos X. scripsit pro suo Luthero, paucula commemorabo.

30 Etenim ait ibi, Thomam Aquinatem impiæ doctrinæ Antesignanum esse, ait eum stolidum esse, à Paulo plurimis in locis discrepare, esse delirum, doctorculum, sanctulum, de quo uiderint Ro. Pontifices, quo iure sanctitatis nomen illi tribuerint. Et quanquam hæc & id genus plura tunc scripserit in eum ad M. T. conuicia & mendacia, nunc tamen simulata pœnitentia commemorat eum inter cordatiores & quidem primo loco, ut sub illius saltem nomine mendacijs suis fraudulenta hypocrisi fidem emendicet. Sed scriptum est, Non inueniet fraudulentus lucrum. Et Dominus in Euangelio ait, Nihil est

Phil. in Diaymo Fauentino.

Prouer. 12.

Matth. 10.

opertum

opertum quod non reueletur, & occultum quod non sciatur. Vt igitur M. T. quàm apertissime intelligat, S. Thomam longe alias de peccato Originali scripsisse sententias, quàm scribunt immitissimi hostes eius Lutherus & Philippus, operæprecium mihi sane uidetur, ut obiter ex scheda recenseantur M. T. quædam huius sancti Doctoris de Originali peccato sententiæ.

Recita.

SCRIBA. Sententiæ S. Thomæ de pecato Originali. 31

I Secundum fidem Catholicam tenendum est, quod primum peccatum primi hominis originaliter transit in posteros. Propter quod etiam pueri mox nati, deferuntur ad baptismum, tanquam ab aliqua infectione culpæ abluendi. S. Tho. prima 2. q. 81. art. 1.

II Peccatum originale non est peccatum huius personæ, nisi in quantum hæc persona recipit naturam à primo parente. Vnde & uocatur peccatum naturæ, secundum illud Ephe. ij. Eramus natura filij iræ. Ibidem.

III Impossibile est, quod aliqua peccata proximorum parentum, uel etiam primi parentis, præter primum per originem traducantur. Cuius ratio est, quia homo generat sibi idem in specie, non autem secundum indiuiduum. Et iam ea quæ directe pertinent ad indiuiduum, sicut personales actus & ea quæ ad eos pertinent, non traducuntur à parentibus in filios. Ib. art. 2.

IIII Principium actiuum in generatione est à patre, materiam autem mater ministrat. Vnde peccatum Originale non contrahitur à matre, sed à patre. Ib. art. 5.

V Si autem aliquis formaretur uirtute diuina ex carne humana, manifestum est, quod uis actiua non deriuaretur ab Adam. Vnde non contraheret peccatum originale. Ib. art. 4.

VI Ex auersione uoluntatis à Deo, consecuta est inordinatio in omnibus alijs animæ uiribus. Sic ergo priuatio originalis iustitiæ, per quam uoluntas subdebatur Deo, est formale in peccato originali. Omnis autem alia inordinatio uirium animæ se habet in peccato originali, sicut quoddam materiale. Ib. quæst. 82. art. 3.

VII Peccatum originale est unum specie, & in uno homine non potest esse nisi unum numero. In diuersis autem hominibus est unum specie. Ib. art. 2.

VIII Peccatum originale nõ potest esse maius in uno quàm in alio. Contigit autem uires aliquas animæ esse fortiores in uno quàm Ib. art. 4.

in alio propter diuersas corporis complexiones. Quod ergo unus homo sit pronior ad concupiscendum quàm alter, non est ex ratione peccati originalis, sed ex diuersa dispositione potentiarum.

Ib. quæst. 83. art. 1. IX Quicquid peruenit de corruptione primi peccati ad animam, habet rationem culpæ. Quod autem peruenit ad carnem, non habet rationem culpæ sed pœnæ. Est igitur anima subiectum peccati originalis, non autem caro.

Idem in quæst. de malo. materia 4. quæst. 1. X Sicut anima diuinitus infusa, pertinet ad naturam humanam, ab Adam deriuatam, propter carnem cui coniungitur. Ita & defectus prædictus pertinet ad animam propter carnem quæ ab Adam propagatur, non solum secundum corpulentam substantiam, sed etiam secundum rationem seminalem, id est, non solum materialiter, sed sicut ab actiuo principio.

Ibidem. XI Huiusmodi defectus non dicitur esse peccatum personale, sed peccatum totius naturæ. Nec ad personam pertinet nisi inquantum natura inficit personam.

Ibidem. XII Ex peccato primi parentis destituta est caro eius illa uirtute, qua ex ea posset descindi semen, per quod originalis iustitia in alios propagetur.

Ib. quæst. 2. XIII Concupiscentia, secundum quod est aliquid peccati originalis, non nominat necessitatem consentiendi motibus concupiscentiæ inordinatis, sed nominat necessitatem sentiendi, quæ quidem manet post baptismum, sed non manet cum carentia originalis iustitiæ, ex qua est reatus pœnæ.

Ib. XIIII Iustitia originalis restituitur in baptismo, quantum ad hoc, quod superior pars animæ coniungitur Deo, per cuius priuationem inerat reatus culpæ; sed non quantum ad hoc, quod rationi subijciantur inferiores uires. Ex huiusmodi enim defectu est concupiscentia quæ manet post baptismum.

Ibidem materia. 5. q. 4. XV Absque omni dubio, secundum fidem Catholicam tenendum est, quod mors & omnes huiusmodi defectus præsentis uitæ, sunt pœna peccati originalis.

Confer obsecro has pauculas, Imperator, sententias, cum prolixa Apologiæ uerbositate de peccato Originali, aut conferendas trade quibuslibet Theologis. Dispeream, si non iudicaturi sint, multo & plura & meliora in his breuibus dictis contineri quàm contineantur in nugaci illa Apologia de peccato Originali.

52 Quid enim affert de eo Apologia, nisi crebrius repetita ista uerborum

horum portenta, Peccatum originale detrahere non solum obedientiam inferiorum uirium hominis, sed etiam notitiam Dei, fiduciam erga Deum, timorem & amorem Dei, afferre uero istos defectus, Non posse Deo credere, non posse Deum timere ac diligere, Item habere concupiscentiam quæ carnalia quærit contra uerbum Dei, hoc est, quærit non solum uoluptates corporis, sed etiam sapientiam & iustitiam carnalem, & confidit his bonis, contemnens Deum, Item Nos nascentes afferre ignorationem Dei, incredulitatem, diffidentiam, contemptum, odium Dei. Et hæc omnia adeo manifesta esse ait, ut nihil opus habeant testimonijs. Nos uero cum S. Thoma & cum tota Ecclesia dicimus plane & simpliciter, in pueris esse per generationem peccatum originale, cuius culpa tota per regenerationem in baptismo deleatur.

Cæterum portentosa figmenta ista, quæ tam sæpe commemorat ac repetit Philippus, paruulis nemo, præter ipsum & eos qui in uerba eius Lutheriq; sui iurant, tribuit, adscribit aut imputat, non Iudæi, non Gentiles, ne Turcæ quidem, quamlibet barbari alioqui & immanes. Quis ergo inter Christianos tam absurda & immitia contra paruulos dogmata æquo animo accipiat? Etenim lex diuina testatur, paruulos boni ac mali ignorare distantiam. Et ex Augustino supra declaratum est, in paruulis ante baptismum & recens natis, nullam omnino esse præcepti capacitatem, nullum uel naturalis uel conscriptæ legis sensum aut motum, nullum in alterutram partem rationis usum, nihil per propriam uoluntatem mali, nullum propriæ uitæ peccatum, Et hæc omnia manifestiora esse & euidentiora quàm omne quod dicitur. Nouus tamen iste, ex Rhetore repente factus Theologus (cui cæci, impij & stulti sunt omnes philosophi iuxta & Theologi) contra tantā rerum euidentiam, & cōtra apertum scripturæ testimonium, toties affirmare audet, ubi peccatum originale sit, ibi esse incredulitatem, diffidentiam, contemptum, odiumq; Dei, ibi quæri carnalia contra uerbum Dei. Cumq; paruulis originale peccatum inesse dicat, non solum ante regenerationis lauacrum, uerum etiam post baptisma susceptum, nonne fatetur, in paruulis tam baptizatis quàm non baptizatis esse incredulitatem, diffidentiam, contemptum odiumq; Dei, eosq; carnalia quærere contra uerbum Dei? Si hæc noua non sunt, Auguste, ut ipse ait, quid sic abhorret ab ijs pietas tua antiqua? quid sic offenduntur ijs religiosæ ac piæ mentes auresq; Christi fidelium?

33 — *Deut. 1. Ionæ. 4. Aug. de peccatorum meritis & remiß. lib. 1. c. 35.*

Quid si barbari quoq; Anabaptistæ ista execrentur? Nam & ipsi 34

producunt illud, iam dictum scripturæ testimonium, quod paruuli ignorant boni ac mali distantiam. Decipiuntur autem pessime & à Luthero & ab isto eius defensore, qui docent, solam fidem iustificare, Baptismum sine fide nihil esse, sacramenta nouæ legis nullam dare gratiam, sed esse tantum signa sicut sacramenta ueteris legis. Quod si res diligentius expendatur, arbitror profecto, non obscurum hinc esse, quod iustius possit sumi seu mulcta seu supplicium de ipsis seductoribus quàm de seductis, de doctoribus quàm de discipulis, de superbientibus in eruditione & eloquentia sua hæresiarchis, quàm de simplici plebe, quæ ex illorum falsa & impia doctrina nequiter seducta ad eiusmodi errores misere atq; etiam miserabiliter deuenit.

Quoniam uero gloriantur in ista malicia sua insignes hi duo ca-
Psal.51. prarum duces, lætanturq; cum male fecerint, & exultant in rebus pes-
Pro.2. simis, ac Responsionem illam, quæ Augustæ iussu & autoritate M. T. data est ad eorum Confessionem, improbe contemnunt, cauillantur, irrident & calumniantur, atq; etiam noctuam uespertilionemq; eam procaciter appellitant, non sine iniuria & crimine læsæ M. T. operæprecium sane uidetur mihi, & M. T. in memoriam reducere, & lectori pio exhibere hic eam Responsionis partem, quæ ad secundum eorum articulum Augustæ data est, & quidem sub duplici forma, quarum prior M. T. iussu mitior est & breuior, posterior à Theologis acrior extensiorq; facta, non quidem amaræ contentionis studio, sed piæ præmonitionis diligentia, ut inde M. T. simul cum cæteris Principibus Ordinibusq; sacri Ro. Imperij intelligerent, astute occultari in illorum Confessione praua eorum dogmata, de quibus ibi tacendo dissimulabant, ut in hypocrisi loquentes, M. T. alijsq; Principibus imponerent.

Recita.

35 SCRIBA. Responsionis Imperialis articulus secundus, de peccato Originali.

In secundo articulo Confessionis, comprobatur quidem, quod cum Ecclesia Catholica fatentur uitium originis uere esse peccatum, damnans & afferens æternam mortem ijs qui non renascuntur per baptismum & spiritum sanctum. Nam recte in hoc damnant Pelagianos & nouos & ueteres iampridem ab Ecclesia damnatos. At declaratio articuli, quod peccatum originis sit, quod nascantur homines sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, est reijcienda, Cum sit cuilibet Christiano manifestum, esse sine metu Dei, sine fiducia erga Deum,

potius

potius esse culpam actualem adulti, quàm noxam infantis recens nati, qui usu rationis adhuc non pollet, Velut Dominus ad Moysen ait. Paruuli uestri & filij qui hodie boni ac mali ignorant distantiā Deut.1. Sed & ea reijcitur declaratio, qua uitium originis concupiscentiam dicunt, si ita concupiscentiam uolunt esse peccatum, quod etiam post baptismum remaneat peccatum in puero. Iampridem enim damnati sunt à Sede Apostolica duo articuli Martini Lutheri, secundus & tertius, De peccato remanente in puero post baptismum, & De fomite remorante animam ab ingressu cœli. Quod si iuxta diui Augustini sententiam, uitium originis dicerent concupiscentiam, quæ in baptismo peccatum esse desinat, acceptandum esset. Quandoquidem & iuxta B. Pauli sententiam, Omnes filij iræ nascimur Ephe. 2. Et in Adam omnes peccauimus Rom.5. Hæc ibi. Theologi uero sic, ad Cæsaream Maiestatem tuam super eo articulo Augustæ responderunt, ut sequitur.

Theologorum Responsio in articulum secundum.

Hanc quoq; Confessionem, quatenus Catholica est, gratulabundi acceptamus. Nempe, omnes homines, secundum naturam propagatos, nasci cum peccato, quod originale uocamus. De quo tam multa sunt in scripturis testimonia, præsertim in epistolis Pauli, ut merito impudentissimus iudicetur fuisse Pelagius, qui illud negare ausus fuerit. Et adhuc multo impudentiores uideantur hodie plærіq; Concionatores Argentorati, Basileæ, Turegi, Constantiæ &c. discipuli paulo ante Lutheri, nunc eius aduersarij, nouarum sectarum duces, qui peccatum originale, tot sæculis ab uniuersali Ecclesia confessum, tot Concilijs assertum, tot scripturis attestatum, post damnatum ante mille annos Pelagium, adhuc negare non uerentur. Zuinglius enim ait, non esse peccatum, sed defectum naturalem, sicut balbutire. Et Bucerus, quamuis Marpurgi in gratiam Lutheranorum recantasse uideretur, paulo post tamen illam ipsam recantationem noua recantauit epistola, peruicaciter peccatum originale negans.

Cæterum ista Concionatorum assertio, non est per omnia satis pura & Catholica. Primum, quia non recte explicant peccatum originis, quod aiunt esse sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, & cum concupiscentia. Est enim potius carentia seu priuatio originalis iustitiæ, quam Adam protoplastus lapsu suo perdidit, ad cuius perditionem omnes nascimur filij iræ, ut ait Apostolus Ephe.2. Cæterum sine metu Dei & sine fiducia in Deum esse, habet magis rationem culpa-

bilis omissionis & actualis quàm originalis peccati. Neq; id pueris, qui usum rationis nondum habent, recte imputatur, sed adultis.

Deinde, quando dicunt, hoc uitium originis uere peccatum esse, latenter insinuare uidentur damnabilem ac iampridem à Sede Apostolica damnatum errorem Lutheri sui, qui asserit concupiscentiam uere peccatum esse, & in puero post baptismum uere peccatum remanere, fomitemq; istum, etiamsi nullum adsit peccatum actuale, remorari animam ab ingressu cœli. Hic sane pessimus est error, iam olim publice damnatus, non solum à Ro. Pontifice supremo super eiusmodi causis cognitore & iudice, uerum etiam à celeberrimis Vniuersitatibus Parisiensi, Louaniensi & Coloniensi. Ex quo deinceps errore, adhuc multo peiores & nocentiores pessime astu serpentino elicuit, asserens, Iustum in omni opere bono peccare, & opus bonum etiam optime factum esse peccatum, & quidem mortale secundum iustitiam Dei, ueniale uero secundum misericordiam Dei, eo quod iustus non est sine carnis concupiscentia, quam uere peccatum esse affirmat. Nos quidem libenter admittimus & affirmamus etiam, peccatum originis ante baptismum in puero uere peccatum esse, Quod uero in puero post baptismum uere peccatum remaneat, hoc maxime inficiamur, atq; etiam autoritate sacræ scripturæ, sedis Apostolicæ Conciliorumq; & sanctorum patrum subnixi, damnamus.

Tertio, quando dicunt, Et cum sit uere peccatum, damnans & afferens nunc quoq; æternam mortem his qui renascuntur per baptismum & spiritum sanctum, Verba hæc maxime negamus ut iacent. Benigne tamen interpretabimur, potius hic lapsum scriptorem quàm Principes istos & Concionatores eorum ita sentire. Sic enim sentire, non aliud esset quàm consentire barbarissimo simul & impijssimo errori ueterum Patarenorum, qui dicunt furiosissime, Paruulos baptizatos non leuius puniri æternaliter quàm latrones aut homicidas. Arbitramur autem potius, hunc esse Principum sensum hic, ut peccatum originale æternam afferat mortem his qui non renascuntur per baptismum & spiritum sanctum. Quem sane sensum Catholica quoq; tenet Ecclesia, iuxta illud Christi, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest intrare in regnum cœlorum Ioh. 3.

Merito igitur & in hoc articulo admonebit Cæsarea Maiestas uestra Principes istos, ut synceriter per omnia hic cum Ecclesia Catholica & sanctis patribus de peccato originali sentire dignentur, potius quàm cum nouis sectarum autoribus & ducibus, uarijs inuolui erroribus. Errat

bus. Errat quippe Lutherus, dicens peccatum originale post baptismum in puero remanere & uere peccatum esse. Errat Melanchthon dicens, Scripturam non distinguere inter peccatum actuale & originale, & peccatum originale esse actualem quandam prauam cupiditatem. Errat Zuinglius dicens, pueros Christianorum sine baptismo saluari. Errat Eberhardus Vuidensee, Patarenus nouus, dicens, puerum baptizatum æterna morte damnari. Errant deniq; Catabaptistæ, dicentes, pueris baptismum nihil prodesse, sed magis obesse. Et quis tandem erit errorum modus aut finis, si unicuiq; iuxta somnia sua nouam opinionem effingere, & in populum euulgare liceat? Satius est igitur & multo salubrius, unam certam Ecclesiæ sententiam sequi & amplecti, quàm per tot opinionum ambages misere in errorum Pelago fluctuare. Hæc Theologi.

Dictum est, Auguste, de peccato hic Originali, quantum per temporis breuitatem licuit, qui plura de eo nosse desyderat, is legere poterit Theologos recentiores super Magistrum sententiarum, qui latissime ibi rem istam pertractant, multo sane & rationabilius & copiosius quàm fecerunt hactenus Lutherus & Philippus, hic in locis communibus & in Apologia sua præcipue, Lutherus uero in assertione suorum articulorum, maxime secundi & tertij. Audisti igitur quàm impij & absurdi utriusq; articuli recitati sint, Lutheri sane 21. Philippi uero. 26. Audisti quàm acriter iampridem eis responsum sit ab Episcopo Roffensi & ab Ambrosio Catharino, uiris sane ingenio, eruditione, probitate, fide & religione nulli secundis, & à paruitate quoq; mea, pro baptismo paruulorum. Audisti non modo B. Augustinum, uerum etiam alios patres atq; adeo totam scripturam, illis aduersantes, sententiam comprobare nostram. Tui nunc est officij, Cæsar Auguste, cum Ecclesiæ (cuius aduocatum agis) desertoribus istis ita agere, secundum & legum & sacrorum Canonum præscripta, sicut & debes & potes, ne Imperij tui auspicatissimi gloria, hac impietatis macula (quum & Turcæ & Tartari, quamlibet barbari, errorem hunc de paruulis nusquam doceant, ne admittant quidem, sed detestentur ac exterminent) uelut neuo quodam aspergatur ad posteros. Dixi.

56 Lib. 2. Dist. 30 cum sequen.

Philippica

PHILIPPICA TERTIA IOH. COCHLEI IN APOLOGIAM

Philippi Melanchthonis, De quarto, quinto & ſexto articulis Lutheranæ Confeſsionis, ubi diſceptatur de ſola fide, quam Lutherus aſſerit.

QVàm malæ fidei ſit Defenſor iſte, fideliſsime pariter ac religioſiſsime Imperator, ex ſuperioribus perſpicuum eſſe arbitror, ubi toties audiſti, eum longe aliter ſcripſiſſe ad M. tuam in Confeſsione ſua, quàm ſcripſit alibi ad populum, & ad iuuentutem Germanicam, quam ſane compoſitis uerbis pellexit, contra Edictum tuum, in damnatam partem Lutheri, non ſine maximo Germaniæ malo, iuxta illud ſapientis, Verba bilinguis, quaſi ſimplicia, & ipſa perueniunt uſq; ad interiora uentris.
Pro. 18.

1 Hic uero, ubi de Iuſtificatione impij ſæpe damnatam Lutheri de ſola fide impietatem aſſerit, tam uarius ſane ac uerſipellis eſt, ut Pardum potius aut Polypum quàm uulpeculam agere uideatur, tanta inſuper feruet calumniandi libidine ac malignitate, ſuper improba blandiloquentiæ hypocriſi tendens incautis inſidias, ut hyenam etiam aut draconem fallendi arte ſuperare poſsit. Et ijs moleſtijs moleſtiſsimam quoq; ſuperaddit uerboſitatem, qua ſic exundat, ut Antagoniſtam fatigatum enecet, antequàm totam eius loquacitatem uel ſemel perlegere queat. Quandoquidem XII. quaterniones integros nugacitate ſua ſuper una re iſta compleuit, tanquam maxima illi fuerit nobiſcum Auguſtæ circa hos articulos Confeſsionis ſuæ quartum, quintum & ſextum controuerſia.

2 At non ignorant Illuſtriſsimi Principes, & Iureconſulti aliquot Lutherani, qui in concordiæ tractatum deputati fuerunt, de ijs tribus articulis mox primo congreſſu & uno ueſpere tam facile concordatum fuiſſe, ut poſt longa conſultationum ſuper tractandi ac procedendi modo præludia, quæ maiorem illius temporis (quod ad maximum ſex horarum erat) partem inſumebant, facto conſeſſu concordia proceſſerit illo ueſpere uſq; ad articulum Confeſsionis duodecimum. Sponte enim abdicabant & renunciabant ibi Lutherani hanc uoculam Sola, ne ulterius dicerent, nos ſola fide iuſtificari. Quam ſane

uocem

uocem Doctor Iohannes Eckius, intrepidus ille atque inuictus Hæreticorum debellator, per iocum remitti iussit ad sutores, uelut soleam, quæ Teuthonice Sola dicitur. Summa igitur concordiæ his breuissime uerbis tum concepta, & nisi fallit memoria, ab ipsomet Philippo scripta fuit, Nempe, quod iustificatio seu remissio peccatorum fiat per gratiam gratum facientem & fidem formaliter, per uerbum uero & sacramenta instrumentaliter, quodque recte damnentur Anabaptistæ qui uerbum externum contemnunt, & quod nos bona opera facere oporteat, tanquam à Deo mandata.

Hæc est, Imperator, summa trium istorum articulorum, super quibus Augustæ Philippus iste cum reliquis Lutheranis concordiam, simulanter & ficto (ut uideo) corde nobiscum inierunt, aliud habentes in corde, aliud in ore. Non hoc dixerim de omnibus, sed maxime de hac uulpecula socijsque eius, Spalatino scilicet (qui cum supernumerarius esset, cum rubore paulopost abire iussus fuit) Brentio & Schnepio. Arbitror enim Illustriss. Principes, Iohannem Fridericum Saxoniæ Ducem & Georgium Marchionem Brandenburgensem, simul cum duobus Iureconsultis eorum, ex animo tunc & egisse & in eam concordiam consensisse, eo quod Theologi eorum non poterant ullam proferre scripturam, quæ diceret nos sola fide iustificari. Nos autem proferebamus manifeste contrariam sententiam ex epistola B. Iacobi, ubi sic habetur. Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum. Cum igitur consentirent nobis Principes & Iureconsulti, & Theologi isti poetici nihil haberent, quod huic B. Iacobi sententiæ opponerent, saltem commode & honeste, consenserunt & ipsi, sed ficte, in hypocrisi & dolo. 3

Hic Saxoniæ Dux nūc mortuo patre suo Princeps Elector est.

Iac. 2.

Non enim poterant honeste, in conspectu tantorum uirorum, dicere, quod impudenti ac impia calumnia dixit prius & scripsit ad plebem Lutherus eorum, eam epistolam non esse B. Iacobi aut ullius Apostoli, cum directe contra S. Paulum omnemque scripturam operibus iustificationem tribuat, laceretque scripturam, & resistat Paulo ac omni scripturæ. Cumque in sæculari iudicio unus uir sit nullus uir, quomodo singularis iste uir (inquit) contra Paulum & omnem scripturam ualeat? In summa, ait B. Iacobi epistolam uere stramineam esse, præ ceteris noui Testamenti libris & Epistolis, cum nihil euangelicum sapiat. Hæc quidem à Luthero scripta esse non ignorabat Philippus cum socijs suis, proferre tamen ibi, nobisque obijcere non audebat, quia sciebat, nimis impudentem & inciuilē esse eiusmodi sermonem coram 4

Luth. in præfatione Teuth. noui. Test.

quibuslibet Christianis, taceo, coram tantis Principibus. Dissimulabat igitur ista, & ficto corde consentiebat nobis. Verum ubi ad Lutherum suum rediȷt, & ex eo intellexit, quantum illa in concordiæ tractatu concessione, nocuerit uniuersæ causæ Lutheranæ, sera tandem pœnitentia, ad reconciliandum sibi Lutherum suum, tam acerbam & amarulentam super isto articulo scripsit & produxit Apologiam.

5 *Phil. in Apologia sua.*

Sic enim exorditur. In quarto, quinto, sexto, & infra in articulo XX. damnant nos, quod docemus homines, non propter sua merita, sed gratis propter Christum consequi remissionem peccatorum fide in Christum. Vtrunq; enim damnāt, & quod negamus homines propter sua merita consequi remissionem peccatorum, & quod affirmamus homines fide consequi remissionem peccatorum, & fide in Christum iustificari. Hoc est initium & fundamentum, inclyte iustitiæ Præses, Imperator, ad omnes, quas per XII. quaterniones maligne & impudenter effutiuit, calumnias, contra nos, cum quibus se Augustæ prius super ȷs rebus per omnia concordare callide (ne quid grauius dicam) simulauerat. Neutrum profecto ex scriptis aut dictis nostris probare unquam poterit. Nusquam enim scribimus aut docemus, hominem propter merita sua iustificari, cum non ignoremus, sed fateamur aperte, homines non per merita sua, sed per gratiam Dei iustificari & consequi remissionem peccatorum. Ante gratiam enim Dei nobis per spiritum sanctum infusam, non possumus consequi remissionem peccatorum, nec ulla facere opera meritoria uitæ æternæ. Nec negamus nos fide iustificari, sed negamus nos sola fide iustificari, quia detestamur impios illos Lutheri errores, quibus docet, hæreticam esse sententiam, sacramenta nouæ legis dare gratiam ȷs qui non ponunt obicem, & iustum in omni opere bono peccare, & omnia opera bona, etiam bene facta, esse peccata &c.

6 *Controuersia ista maximi momenti est.*

Non leuis igitur est ista inter nos controuersia, Imperator, non de lana caprina contendimus, sed de toto Christianismo periculum Diabolus per hos iniquitatis suæ ministros nobis intentat. Christus enim in omni doctrina sua requirit à nobis, non solam fidem, ut Lutherus docet, sed fidem simul & bona opera, non modo promittens uitam æternam bene operantibus, uerum etiam comminans ignem æternum, non solum male operantibus, uerum etiam non operantibus bene. Manifeste enim ait Pharisæis, Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Et ȷs qui à sinistris erunt inter hædos, Discedite (inquit) à me maledicti in ignem æternum. Esuriui enim & non dedistis mihi

Matth. 23.
Ibidem c. 25.

manducare,

manducare. Et cunctis dicit generaliter. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur, Matth. 7.

Ergo Philippus iste hac sua friuola, contentiosa, nimisq; calumniosa Apologia non solum rescindit impudenter ac leuiter ea quæ semel placuerunt ei in concordiæ tractatu, de quo dictum est, uerum etiam conculcatis tot Christi per omne Euangelium de operibus tum promissionibus tum comminationibus, ut Lutheri sui sententiam de sola fide iustificante defendat, non modo amarulentis nos grauat calumnijs, uerum etiam sacrosanctæ M. T. & omnium Principum Ordinumq; sacri Ro. Imperij sententiam improbis incessit cauillis, Et quicquid conuitiorum calumniarumq; in nos aperte euomit, in M. T. & in omnes, tuo obedientes Imperio, Principes & Status, euomuisse conuincitur. Non enim nos soli, qui ad Confessionem eius tuo iussu respondimus, negauimus sola fide homines iustificari, uerum etiam M. T. & omnes Catholici Principes & Imperij Status tecum unanimiter in generali Recessu concluserunt, hanc falsam propositionem, quod sola fides iustificet, abolendam esse. Nonne igitur perduellionis & læsæ Maiestatis reus est, quisquis in Imperio conclusionem istam M. tuæ non modo contemnit, uerum etiam cauillatur, impugnat, reprobat, ac uelut impiam & execrabilem detestatur ac maledicit? At faciunt hoc audaces & improbi potestatum contemptores isti, Lutherus & Philippus, hic Latine, ille Teuthonice, in scelerato illo omnium nequitiarum & impietatum suarum nido & Asylo, idq; non priuatim solum literis & colloquijs, uerum etiam publice (ut alios quoq; rebelles M.T. reddant) editis latinis Teuthonicisq; libellis. 7

Conclusio Imperialis cōtra solam fidem.

Hæc enim sunt in Teuthonico Lutheri uerba. Quando uideo (inquit) quod hunc principalem articulum semper Diabolus per suos porcarios doctores criminari cogitur, nec potest quiescere aut cessare, Dico igitur ego Doctor Martinus Luther, Domini nostri Ihesu Christi indignus Euangelista, quod hunc articulum (sola fides, absq; omni opere, iustificat coram Deo) debent stantem ac manentem dimittere ac sinere Romanus Imperator, Turcicus Imperator, Tartaricus Imperator, Persarum Imperator, Papa, omnes Cardinales, Epicopi, presbyteri, Monachi, Moniales, Reges, Principes, domini, omnis mundus omnesq; pariter Diaboli, & debent præterea infernalem ignem habere super capita sua, & nullam adhæc gratiam. Hic sit meus Doctoris Lutheri instinctus à spiritu sancto & uerum Euangelium. Hæc 8

Luth. in glosa contra Edictū Imperiale.

Gene.16. ferus iste Ismael (cuius manus contra omnes, & manus omnium contra eum) in Teuthonica sua Logomachia.

9 Ppilippus uero, non ignorans hæc ab illo edita esse, postquam suam ediderit Apologiam, quamuis per sese turbulenta sint & seditiosa, ut tamen oleum (quod aiunt) adderet camino, prolixa & cauillosa uerbositate sententiam istam tueri aggressus, inter alias innumeras, quas odiose in nos eiaculatur, calumnias, his quoq; uerbis nos inuidiose proscindit.

Atrox calũnia Phil. in Theologos. Turpe est (inquit) aduersarijs, tantopere prædicare dilectionem, cum nusquam præstent eam. Quid nunc agunt? dissipant Ecclesias, scribunt leges sanguine, & has proponunt Cæsari clementissimo Principi promulgandas, Trucidant sacerdotes & alios bonos uiros, siquis leuiter significauit se aliquem manifestum abusum non omnino probare &c.

At nouit M. T. Cæsar, nos, qui iussu tuo Confessioni Lutheranæ respondimus, esse homines priuatos & in nulla potestate constitutos, nullas dissipare Ecclesias, nullas scribere sanguine leges, nullos trucidare sacerdotes aliosq; uiros bonos, sed ad mandatum tuum in omni patientia, mansuetudine & lenitate ad Confessionem illam respondisse, nec ullam huic uulpi, immo hyenæ & Crocodilo, ad tam mordaces calumnias causam dedisse, Quod ut manifestius fiat, ipsius responsionis nostræ uerba, quæ publice iussu tuo recitata sunt, hic iterum recitanda exhibeo.

Recita.

10 SCRIBA. Responsio ad quartum Confessionis articulum.

Hic duo confitentur Principes isti, Primum, non iustificari homines coram Deo uiribus, meritis aut operibus proprijs. Alterum, iustificari eos gratis propter Christum per fidem. Vtrunq; autem sane intellectum, uelut pium & Catholicum reuerenter accipimus & approbamus. Primum quidem sic, quod sine gratia Dei ex uiribus, meritis, aut operibus proprijs iustificari non possumus. Alterum uero sic, quod fide quæ per dilectionem operatur, iustificamur. At neutrum istorum sic docent aut recipiunt Lutherani, sed aiunt, nos sola fide iustificari, exclusis bonis operibus nostris, sed omnia hæc potius coniungimus, & in complementum adiungimus etiam sacramenta, ut per ea uelut per carnales quasdam gratiam nobis influat Deus, per quam iustificemur gratis, non enim ex nostris uiribus, sed ex gratia Dei miserentis iustificatio nostri est.

Etenim

Etenim à meritorijs operibus nostris nusquam secludimus fidem, nusquam gratiam Dei, Scimus enim ex Paulo Heb.xj. quod impossibile est sine fide placere Deo, Scimus nos gratia Dei id esse quod sumus.j.Cor.xv.Scimus quod nemo potest accipere quicquam nisi fuerit ei datum de cœlo Ioh.iij.Scimus, omne datum optimum & omne donum perfectum desursum descendere à patre luminum Iac.j. Scimus, quia omnis sufficientia nostra ex Deo est, ij.Cor.iij. Scimus, unicuiq; nostrum uere dicere Paulum. j.Corin.iiij. Quid habes quod non accepisti? Scimus Christum uere dixisse, Nemo potest uenire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum. Scimus deniq; patres nostros, ante natum Lutherum, & nos adhuc hodie, recte & pie ad Deum orasse & orare. Actiones nostras quæsumus domine aspirando præueni & adiuuando prosequere. Item, Tua nos quæsumus domine gratia semper præueniat & sequatur, ac bonis operibus iugiter præstet esse intentos. Vnde ait B. Augustinus. Cum Deus remunerat merita nostra, coronat dona sua. Iniuste igitur calumniantur Catholicos, præsertim Monachos, Lutherani, quasi ex proprijs uiribus aut meritis, absq; gratia Dei boni aliquid facere uelint aut præsumant, quod uitam promereatur æternam. Non ista dicunt Catholici, sed Pelagiani. Nostri uero sic dicunt. Gratia Dei præuenit uoluntatem, mouet uoluntatem, perficit uoluntatem, ita ut opera, quæ alioqui nulla essent, assistente Dei gratia, aliquid sint & meritoria fiant. Non sane ex uirtute propria, sed per gratiam & misericordiam Dei promittentis, & per meritum passionis Christi, mediatoris & aduocati nostri. Huic nostræ sententiæ perquàm multi consonant scripturæ loci. Ait sane Apostolus.ij.Tim.iiij. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Ita Christus bona operantibus repromisit beatitudinem Matth.v. Quos & regnum patris sui percipere iubet Matth.xxv. Et iterum Paulus. Oportet nos manifestari ante tribunal Christi, ut unusquisq; referat propria corporis, pro ut gessit. ij. Cor.v. Et Deus ad Abraham. Noli (inquit) timere, Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis Gene.xv. Et Esaias. Ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo, Esa.xl. Et Deus ad Cain. Nonne si bene egeris, recipies, Gene.iiij. Et paterfamilias. Voca operarios, & redde illis mercedem. Et rursum Paulus.j.Cor.iij. Vnusquisq; propriam mercedem recipiet secundum suum laborem. Hæc & id genus innumera alia scripturæ testimonia contestantur nos per bona opera

Merces bonis operibus promissa.

mereri, & laboribus nostris promissam reddi mercedem, nosq; bonis operibus nostris per gratiam Dei dignos effici uita æterna, iuxta illud Iohannis. Ambulabunt mecum in albis quia digni sunt, Apoc. iij. Et illud Pauli Coloss. j. Cum gaudio gratias agentes Deo patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine.

Error Lutheri et Philippi.

Cæterum, quod Lutherus plærunq; docuit, nos sola fide iustificari, & neq; baptismum neq; bona opera ad iustificationem facere, ingens profecto & nocens error est, damnatus mox ab initio nascentis Ecclesiæ, per epistolam B. Iacobi, quam ob id Lutherus alicubi stramineam uocat. Deinde rursus est per B. Augustinum confutatus in libro de fide & operibus. Et nostris modo temporibus à multis est impugnatus. Deprehensi sunt itaq; Lutherus & Melanchthon, aliquot loca Pauli deprauasse, ut ea in partem traherent suam. Quippe Lutherus in traductione sua uulgari Rom. iij. ad fidem apposuit hanc uoculam Sola, quam neq; Græca neq; Latina exemplaria ibi habent. Et Gal. v. inuertendo uerba textus, peruertit & sensum. Ait enim, Dilectio quæ per fidem operatur. Paulus uero ait, Fides quæ per dilectionem operatur. Sic & Melanchthon contra sensum Pauli ait. Charitas non iustificat, sed fides quæ charitati præfertur. At Paulus manifeste charitatem præfert fidei, dicens. j. Corin. xiij. Fides, spes, charitas, tria hæc, maior autem horum charitas. Non igitur soli fidei, sed charitati potius & gratiæ attribuenda est iustificatio. Ait enim Apostolus, Si omnem fidem habuero, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Cumq; idem dicat Coloss. iij. Super omnia autem charitatem habete, Lutherus contra ait, fidem eleuare oportet super omnes uirtutes. Siquando uero ait Paulus, fidem iustificare, & fidem esse iustitiam nostram, intelligi debet, non de fide sola, quam populo Lutherus obtrudit, sed de fide per dilectionem operante, quam uulgo uocamus fidem formatam.

Prouer. 16.

Hæc est, Auguste, nostra responsio, quam tam atrocibus iniurijs & calumnijs insectatur malignum hoc inuidiæ odijq; & superbiæ mancipium. De quo non immerito dictum à sapiente intelligitur, Homo peruersus suscitat lites, & uerbosus separat principes. Quis enim lites istas in religione nostra magis suscitauit quàm Rhetor iste superbus, qui uerborum lenocinijs & ueteres errores & nouas impietates Lutheri sui ita commendauit, ut maximam literatæ iuuentutis partem in Germania traxerit ad illum, Alioqui tam absurda & impia

dogmata

dogmata non diu sustinuisset seditiosa loquacitate sua Lutherus, qui magis furere quàm scribere uidebatur. Cæterum ubi accesit rhetoricæ artis fraudulentum patrocinium, quo absurdis illis impietatibus prætexebantur loca scripturæ sacræ, & pars Catholica traducebatur innumeris mendacijs & improperijs. Inde profecto factum est, ut non solum temeraria plebs, sed & iuuentus literis politioribus dedita post Lutherum currat.

Ex responsione igitur nostra facile intelligit M. T. nos neq; merita neq; iustificationem neq; bona opera tribuere uiribus nostris, sed gratiæ Dei, quam in iustificatione impij dicimus operantem, in meritis uero cooperantem, Et Christo, per quem & gratiam & spiritum sanctum, & charitatem & fidem, spem item & omnia sacramenta salutaria habemus, omnia bona opera nostra cum debita gratiarum actione referimus accepta, scientes, nos sine eo nihil facere posse Iohan. xv. & salutem nostram ex Deo esse, perditionem uero ex nobis Oseæ. xiij. Et nos adeo non posse iustificari ex uiribus nostris, ut ne cogitare quidem aliquid boni possimus à nobis quasi ex nobis, sed dicamus cum Apostolo. ij. Cor. iij. Sufficientia nostra ex Deo est. Deus est enim qui operatur in nobis & uelle & perficere pro bona uoluntate, Philip. ij. Et nemo potest dicere Dominus Ihesus, nisi in spiritu sancto. j. Cor. xij. 12

Quod autem negamus, nos sola fide iustificari, hoc profecto non ex odio in Lutherum facimus, sed ex amore ueritatis. Ipsa enim ueritas ait Matt. vij. Non omnis qui dicit mihi, Domine domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit uoluntatem patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Et dilectus eius discipulus. j. Ioh. iij. Filioli, nemo uos seducat. Qui facit iustitiam, iustus est, sicut & ille iustus est, Qui facit peccatum, ex Diabolo est, quoniam ab initio Diabolus peccat. Et Petrus Act. x. In ueritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet Deum & operatur iustitiam, acceptus est illi. Et Paulus Rom. ij. Reddet Deus unicuiq; secundum opera eius. Item, Nõ auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Et Iacobus. Fides, si non habet opera, mortua est in semetipsa. Item. Vis autem scire ô homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham pater noster, nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Hæc & id genus innumera alia scripturæ sacræ certa & irrefragabilia testimonia cogunt nos, contra Lutherum dicere, non sola fide iustificari hominem. 13 *Cur negamus, nos sola fide iustificari.*

Quamuis

14 Quamuis uero mitissime & in responsione & in concordiæ tractatu cum Lutheranis egerimus Augustæ, tanto tamen Philippus iste in nos ardet & inimicitiæ odio & inuidiæ incendio, superbiæq; ebullitione, fastu & contemptu, ut ijs omnibus dissimulatis, omni calumniarum genere nos in Apologia sua impetere non uereatur. Quantumuis uero prolixa sit eius circa hunc articulum uerbositas, quæ XII. quaterniones (ut dixi) de sola fide inaniter adimplet, necessarium tamen fuit mihi, dum respondere paro, illam semel perlegere, quamuis molestissima mihi fuerit ea lectio, inter legendum autem signaui cursim aliquot calumniarum loca, quibus nos odiose traducit, & causam suam mendaciter commendat. Et quanquam non anxie quæsiuerim, reperi tamen supra nonaginta. Ex quibus aliquot hic breuiter, adiuncta responsione mea, recitandas M. T. propono, ut inde intelligas, quàm nulla sit frons tam impudenter mentienti, nec ulla ratio honestatis, homini peruerso & in reprobam mentem tradito, qui tam maligne calumniari ac tam aperte mentiri ad M. T. non erubescit.

Recita.

15 SCRIBA. Calumniæ in Theologos ex Apogia Philippi.

I PHILIPPVS. Damnant nos, quod docemus homines non propter sua merita, sed gratis propter Christum consequi remissionem peccatorum fide in Christum.

COCH. Non ista damnamus, sed alia, nempe, quod docent, homines sola fide iustificari, nulla esse merita iustorum, sed omnia opera bona uere peccata esse, & iustum in omni opere bono peccare &c.

II PH. Nam aduersarij nostri, cum neq; quid remissio peccatorum, neq; quid fides, neq; quid gratia, neq; quid iustitia sit intelligant, misere contaminant hunc locum, & obscurant gratiam & beneficia Christi, & eripiunt pijs conscientijs propositas in Christo consolationes.

CO. Non iactamus, nos omnia intelligere, sed arbitramur, longe tutius esse, manere intra limites, quos posuerunt patres nostri, quàm superbe inflari scientia, iuxta illud Apostoli Rom. xij. non plus sapere quàm oportet, sed sapere ad sobrietatem, unicuiq; secundum quod Deus diuisit mensuram fidei. Sequimur igitur circa hunc locum uerba Christi & Apostolorum eius superius commemorata, sanctorumq; patrum scripta & totius Ecclesiæ sensum, & solam fidem non acceptamus, quæ uere obscurat gloriam & beneficia Christi, nempe bona

opera sanctorum, quæ sunt dona & beneficia Christi & eius gloria. Iuxta illud Pauli. j. Cor. x. Omnia in gloriam Dei facite. Et infra c. xij. Qui operatur omnia in omnibus.

III PHIL. Ad hunc modum docent homines mereri remissionem peccatorum, faciendo quod in se est, hoc est, si ratio dolens de peccato, eliciat actum dilectionis Dei, aut bene operetur propter Deum.

CO. Nemo nostrum sic docet, sed fatemur omnes, nos sine gratia Dei nihil mereri posse, dicimus actus nostros sine gratia meritorios uitæ æternæ non esse, & charitatem non minus quàm fidem & spem, habitum infusum ac donum Dei confitemur & agnoscimus. Non enim ex nobis sed ex Deo sunt ista dona Ephe. ij.

IIII PHIL. Si meremur remissionem peccatorum his nostris actibus elicitis, quid præstat Christus? Si iustificari possumus per rationem & opera rationis, quorsum opus est Christo aut regeneratione?

CO. Si nos nihil talium docemus aut scribimus, cur tam improbe calumniatur Philippus? Nos Christi gratiam cunctis operibus bonis coniungimus ubiqꝫ, non separamus. Cæterum quid illi præstet Christus, dum bona opera reputat in peccata, postea uidebimus, maxime enim impiam ibi habet opinionem.

V PHIL. Et ex his opinionibus iam eo prolapsa res est, ut multi irrideant nos, qui docemus aliam iustitiam præter philosophicam quærendam esse.

CO. Qui sunt hi multi? In libris certe nostris nihil talium repperit.

VI PHIL. Et iubent mereri hunc habitum primum, quem primam gratiam uocant, per præcedentia merita, deinde iubent mereri operibus legis incrementum illius habitus & uitam æternam.

CO. Nemo nostrum sic scribit aut docet. Scimus enim Apostolum dicere Rom. xj. Si autem gratia, iam non ex operibus, Alioqui gratia iam non est gratia.

VII PHIL. Ita sepeliunt Christum, ne eo mediatore utantur homines, & propter ipsum sentiant se gratis accipere remissionem peccatorum & reconciliationem, sed somnient se propria impletione legis mereri remissionem peccatorum.

CO. Qui tam impudenter audet mentiri ad Cæsaream Maiestatem, quid non audeat?

VIII PHIL. Securi hypocritæ ſemper iudicant ſe de condigno mereri, ſiue adſit habitus ille(dilectionis ſcilicet)ſiue non adſit, quia naturaliter confidunt homines propria iuſtitia.

CO. Hæc uanitas & impudentia conuicta eſt ſupra, ubi cum Apoſtolo diximus. Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil ſum. j. Cor. xiij. Si ergo ſine charitate nihil ſum, quomodo ſine ea merear de condigno?

IX PHIL. Ita nihil docent aduerſarij, niſi iuſtitiam rationis, aut certe legis, in quam intuentur, ſicut Iudæi in uelatam Moyſi faciem.

CO. Neq; hoc uerum eſt. Docemus enim iuſtitiam fidei quæ per dilectionem operatur, Gal. v. ſed iuſtitiam ſolius fidei. Dicimus eſſe mortuam, ſicut Iacobus docet, immo nihil, ſicut Paulus docet. Fides enim ſine charitate informis eſt & mortua.

X PHIL. Et in ſecuris hypocritis, qui putant ſe legi ſatisfacere, excitant præſumptionem & inanem fiduciam operum, & contemptum gratiæ Chriſti. Econtra pauidas conſcientias adigunt ad deſperationem.

CO. Non eſt ita, ſed dicimus cum Apoſtolo. ij. Cor. x. Qui autem gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat. Et Phil. ij. Cum metu & tremore ueſtram ſalutem operamini. Deus eſt enim qui operatur in nobis & uelle & perficere pro bona uoluntate. Ecce primum è XII. quaternionibus nondum plene percurri, & iam Decalogum calumniarum abſolui, Saltu igitur deinceps opus erit, ut habeamus aliquando finem.

XI PH. Aduerſarij intuentur præcepta ſecundæ tabulæ, quæ iuſtitiam ciuilem continent, quam intelligit ratio. Hac contenti, putant ſe legi Dei ſatisfacere. Interim primam tabulam non uident, quæ præcipit, ut diligamus Deum, ut uere ſtatuamus, quod Deus iraſcatur peccato.

CO. Qui tam aperta mendacia deploratis & in æternam damnationem præſcitis hominibus perſuadere poteſt, quid non perſuadeat? Quid ergo ait Chriſtus? Sinite illos, cæci ſunt & duces cæcorum, ambo in foueam cadunt Matth. xv.

XII PH. Proferant unum commentarium in ſententias, ex tanto ſcriptorum agmine, qui de modo regenerationis dixerit.

CO. Ergo ante hunc Philippum per 1500. annos nihil ſciuit de

modo

modo regenerationis Ecclesia. O uanitatem stultam, quasi nesciamus Christum dixisse Ioh. iij. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto. Et Paulum Tit. iij. Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit per lauacrũ regenerationis & renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum saluatorem nostrũ, ut iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem uitæ æternæ &c. His paucis uerbis melius profecto & clarius exprimit Paulus iustificationis & regenerationis modum, quàm facit iste Philippus per omnem loquacitatem suam.

XIII PH. Cum loquuntur de habitu dilectionis, fingunt eum homines per opera mereri, non docent per uerbum accipi, sicut & hoc tempore Anabaptistæ docent.

CO. Scilicet Anabaptistæ iam sumus, quos Germaniæ peperit (ut supra demonstratum est) doctrina noua Lutheri & huius Philippi. At constat omnibus Theologis, charitatem, sicut & fidem atq; spem, habitum esse infusum & uirtutem supernaturalem, quam simul cum gratia accipimus per spiritum sanctum Rom. v.

XIIII PH. Itaq; qui negant fidem iustificare, nihil nisi legem abolito Euangelio & abolito Christo docent.

COCH. Non negamus fidem iustificare, sed solam fidem. Vulpecula ista nunc exprimit, nunc omittit hanc uocem, sola, ut eo commodius decipiat incautos, nobisq; magis inuidiosam struat calumniam.

XV PH. Aduersarij Christum ita intelligunt mediatorem & propitiatorem esse, quia meruerit habitum dilectionis. Non iubent nunc eo uti mediatore, sed prorsus sepulto Christo, fingunt nos habere accessum per propria opera, & per hæc habitum illum mereri, & postea dilectione illa accedere ad Deum. An non est hoc prorsus sepelire Christum, & totam fidei doctrinam tollere?

CO. Quasi uero nesciamus illud Christi Ioh. xv. Sine me nihil potestis facere. Quis ergo tam aperta credat mendacia nisi homo excæcatus propria iniquitate, & à Deo in sempiternum derelictus?

XVI PH. Sed aduersarij nostri sunt suaues Theologi. Intuentur secundam tabulam & politica opera, primam nihil curant, quasi nihil pertineat ad rem, aut certe tantum externos cultus requirunt.

CO. Eandem sæpe repetit calumniam, ut tanto fortius lectori odium nostri inculcet. Sed mentitur iniquitas sibi. Non enim nos, sed

Lutherus & iste calumniator sæpe docuerunt, hominem ad Deum non habere charitatem sed fidem, dilectionem uero ad proximum.

Luth. in Captiuitate Baby. Nos cum Deo (inquit Lutherus) nunquam agere aliter possumus quàm fide in uerbum promissionis eius, opera ille nihil curat.

XVII PH. Falso igitur calumniantur nos aduersarij, quod nostri non doceant bona opera, cum ea non solum requirant, sed etiam ostendant, quomodo fieri possint. Euentus coarguit hypocritas, qui suis uiribus conantur legem facere, quod non possint præstare quæ conantur.

CO. Est ne hoc docere bona opera, tot libris contendere, solam fidem iustificare, absque omni opere? Omne opus bonum uel optime factum, esse peccatum? Deum nihil curare opera nostra? Et hæc sane ipsiusmet Philippi uerba sunt in Annotationibus. Nam renati iam sciunt omnia sua opera peccatum esse. Et hoc loco est cernere (inquit) quàm nullus sit operum respectus siue bonorum siue malorum. Non igitur nos eos de bonis operibus, sed ipsi calumniantur nos de uiribus proprijs, quasi nostris uiribus legem facere conemur, cum longe aliter cum Paulo dicamus, quod non modo non facere sed ne cogitare quidem possimus aliquid à nobis quasi ex nobis. ij. Cor. iij.

Philip. in Ioh. cap. 3.

XVIII PH. Prędicant se legem implere, cũ hęc gloria proprie debeatur Christo, & fiduciã propriorum operũ opponunt iudicio Dei. Dicunt enim se de condigno mereri gratiam & uitam æternam.

CO. Vbi prædicamus aut dicimus ista? At dicimus potius cum Psalmista. Ne intres in iudicium cum seruo tuo domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Et cum beato Iob. Verebar omnia opera mea. Et cum Daniele. Neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis &c.

Psal. 142. Iob. 9. Dan. 9.

XIX PH. Verum aduersarij nostri simpliciter abolent gratuitam promissionem, cum negant, quod fides iustificet, Cum docent, quod propter dilectionem & opera nostra accipiamus remissionem peccatorum & reconciliationem.

CO. Ex dictis supra satis patet, meras esse ista uerba calumnias. Nihil enim horum facimus quæ falso nobis imputat. Non abolemus promissionem, non negamus fidem iustificare, sed solam fidem, non docemus, nos propter dilectionem nostram aut propter opera nostra remissionem peccatorum accipere, quia in peccatis non est uera dilectio, nec sine charitate meritoria sunt opera.

Ph. Has

XX PH. Has impias opiniones de operibus aduersarij tuentur contra scripturam. At hæc tribuere operibus nostris, quod sint propiciatio, quod mereantur remissionem peccatorum & gratiam, quod propter ea iusti coram Deo reputemur, non fide propter propiciatorem Christum. Quid hoc aliud est quâm Christo detrahere honorem mediatoris & propiciatoris?

CO. Ex responsione nostra licet clare intelligere, hæc omnia non nisi odiosas ex immodico & amaro corde calumnias esse. Nos enim operibus nostris absq; gratia Dei factis nihil meritorum tribuimus. Quicquid igitur boni in operibus nostris est, Christo operanti in nobis & eius gratiæ acceptum referimus.

Longum nimis tædiosumq; foret, Imperator, omnes calumniatoris huius impudentes nugas (quas etiam singulari quadam obloquendi ac detrahendi libidine persæpe, uel ad nauseam usq; repetit) recensere. Quoties enim repetit (apertissimum licet) mendacium istud, nos docere, quod bona opera mereantur remissionem peccatorum, quod bona opera sint propiciatio & precium, propter quod Deus nobis reconcilietur, quod bona opera non egeant misericordia & propiciatore Christo &c? *Consuetudo calumniandi.*

At non est ars ista calumniandi ab hoc rhetore aliena aut insueta, non noua, non incognita. Vsus est ea in omnibus fere scriptis suis, tanta feruet maledicendi libidine, turgetq; superbiæ fastu ac aliorum præ se contemptu. Cui enim pepercit aut detulit? quis liber à censura eius absq; nota euasit? Audisti Cæsar supra, quid censeat alicubi de Christo in cruce, quid de Synodo Nicena, quid de alijs Concilijs, quid de Origenis omniumq; sanctorum patrum commentarijs. Ego certe, dum ante annos octo in Didymum eius responderem libris duobus, reprehendi ac confutaui, ultra mendacia (quorum non paruus est ibi numerus) & blasphemias, etiam calumnias uel procacissimas. In priore quidem libro XCII. in posteriore autem LX. has in Ro. Pontifices, illas in scholasticos Theologos petulanter deblacteratas. 16

Quanta uero paulo post & insolentia & maledicentia usus sit in Theologos Parisienses, uel in breui libello, recensere equidem coram M. T. non ausim, ne uerborum procacitas me inuerecundum uel recitando facere uideatur. Quid enim contumeliarum & exprobrationum in eos non dixit, à quibus tamen nullo unquam uerbo læsus aut lacessitus fuerat. Ne mireris igitur Optime ac Pientissime Imperator, si nos, quos pro aduersarijs habet, dicat nihil intelligere, omnia de- 17 *Maledicta Philippi in Parisienses.*

prauare, idem scripsit olim in Parisienses, qui nullo ei uerbo fuerãt aduersati, quos Theologorũ monstra, degenerem posteritatem, insulsos & bene pingues Magistros nostros & Sophistas, insanos & impios homines subinde uocitabat, & contumeliosas cũ atrocibus iniurijs in eos proferebat, uelut ex censorio tribunali, sentẽtias, nempe, sensum communem à uulgo desyderari in hac fictitia facultate, Cerebro carere Gallos, Eos nihil nisi Montanos esse, Omnes scholas esse hæreticas, Academias esse domus mendacij, Pelagianis impuriores esse Theologos Scholasticos, eos digniores esse qui cloacas (salua M. tua Cæsar) agant quàm qui sacras literas tractent &c. Nihil igitur noui est, si nihilo mitiora in eos proferat, quos inimica mente pro aduersarijs habet. Neq; tamen iniuriæ eius me ad respondendum excitassent, si puram & Catholicam doctrinam in Apologia sua defenderet, immo si eam non impugnaret, & totam Ecclesiam propter unum Lutherum erroris argueret atq; impietatis. Cum igitur ueteres Lutheri sui errores hic fraudulenter dissimulet, nouosq; contra charitatem incauto lectori obtrudat, necessarium sane uidetur mihi & operæpretium, breuem hic M. T. exhibere catalogum, grauium tum Lutheri tum Philippi errorum, quos propter solam fidem defensandam in uulgus ediderunt uarijs in libris suis iam olim.

Recita.

18 SCRIBA. Errores Lutheri de sola fide.

Luth. de Cap. Babylo.

I Ad missam digne habendam aliud nõ requiritur quàm fides.

II Neq; Deus aliter cum hominibus unquam egit aut agit quàm uerbo promissionis. Rursus nec nos cum Deo unquam agere aliter possumus quàm fide, in uerbum promissionis eius. Opera ille nihil curat, nec eis indiget.

III Non est itaq; dubium, uniuersos hodie sacerdotes & Monachos cum Episcopis & omnibus suis maioribus esse Idolatras, in statu periculosissimo agentes, ob hanc missæ seu sacramenti seu promissionis Dei ignorantiam, abusionem, irrisionem.

IIII Ita possum quotidie, immo omni hora, missam habere, dum quoties uoluero, possum uerba Christi mihi proponere, & fidem meam in illis alere & roborare.

V Verbum promissionis hic solum regnare debet, in fide pura, quæ est unica & sola sufficiens præparatio.

VI Missa impiorum hominum doctrina, mutata est in opus bonũ, quod ipsi uocant opus operatum, quo apud Deum sese omnia præsumunt posse.

Inde

VII Inde processum est ad extremum insaniæ, ut quia missam ex tui operis operati ualere mentiti sunt, adiecerunt, eam non minus utilem esse cæteris, etiam si ipsi impio sacrifico noxia sit.

VIII Intelligis, non posse Missam esse opus ullo modo, nec quicquam in ipsa fieri, nec alio studio à quoquam tractari quàm sola fide.

IX Concludimus ex omnibus his, quibus nam missa sit parata, & qui digne communicent. Nempe soli ij, qui tristes, afflictas, perturbatas, confusas & erroneas habent conscientias.

X Secure accedit, quicunq; peccatorum suorum uexatur siue morsu siue titillatione. Est enim testamentum hoc Christi, medicina unica præteritorum, præsentium & futurorum peccatorum, modo indubitata fide ei adhæseris.

XI Ita uides, quàm diues sit homo Christianus siue baptizatus, qui etiam uolens non potest perdere salutem suam quantiscunq; peccatis, nisi nolit credere. *Ibidem. c. de baptismo.*

XII Nulla enim peccata eum possunt damnare nisi sola incredulitas. Cætera omnia, si redeat uel stet fides in promissionem diuinam, baptizato factam, in momento absorbentur per eandem fidem, immo ueritatem Dei.

XIII Contritio autem & peccatorum confessio, deinde & satisfactio, & omnia illa hominum excogitata studia, subito te deferent & infœliciorem reddent, si oblitus ueritatis huius diuinæ, in ipsis tete distenderis.

XIIII Simul uides, quàm periculosum, immo falsum sit, opinari, pœnitentiam esse secundam tabulam post naufragium, & quàm periculosus sit error, putare, per peccatum excedisse uim baptismi, & nauem hanc esse illisam.

XV Vide itaq;, ne te fallant operum pompæ, & humanarum traditionum fallaciæ, ut ueritati diuinæ & fidei tuæ non facias iniuriam.

XVI Tota sacramentorum efficacia est ipsa fides, non operatio. Qui enim eis credit, is implet ea, etiam si nihil operetur.

XVII Ita baptismus neminem iustificat, nec ulli prodest, sed fides in uerbum promissionis, cui additur baptismus.

XVIII Ita nec uerum esse potest, sacramentis inesse uim efficacem iustificationis, seu esse ea signa efficacia gratiæ. Hæc enim omnia dicuntur in iacturam fidei, ex ignoratia promissionis diuinæ.

XIX Ita semel es baptizatus sacramentaliter, sed semper baptizandus fide, semper moriendum, semperq; uiuendum.

XX Itaq; nunquam sine baptismi tam signo quàm re ipsa sumus, immo semper sumus baptizandi magis ac magis, donec signum perfecte impleamus in nouissimo die. Hæc Lutherus.

ERRORES Philippi, de sola fide.

Phil. in Annotationibus in Iohannem.

I Suos non recepisse eum, non aliud est nisi noluisse credere, & per opera uoluisse saluari. Ita uides hoc urgere Ioannem, ut doceat, nullo operum respectu credendum esse in Christum.

II Et hic uides, quàm nihil tribuat operibus aduersus inferos & iudicium Dei. Ibi illa ipsa bona opera erunt nobis igniti serpentes, quia immundicia bonorum operum reuelabitur.

III Qui credit in eum, non iudicatur. Id est, non modo non damnatur, sed ne iudicatur quidem. Id est, simpliciter ei fides imputatur pro iustitia, qualiacunq; sint opera.

IIII Hic ignorantes Euangelij, quia non credunt se sine operibus salutem consecuturos, uiuunt in perpetua quadam desperatione.

V Et Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse, id est, Neminem neq; bona opera saluant, neq; damnant mala, sed saluat fides, damnat incredulitas.

VI Et cum Iudæos dico, intelligo omnes eos, qui non fide, sed suis meritis uolunt saluari.

VII Fides ficta, carnalis est opinio inconstans & incerta de Deo, uel quod non sit tam iniquus exactor, ut à nobis impossibilia postulet, uel quod non sit tam sæuus, ut hominem damnet.

VIII Carnem Christi spectant, qui quodcunq; opus uel præceptum Christi imitantur aut faciunt, & per illud se iustificari uolunt.

IX Quo fit ut agnoscamus, merum maledictum esse omnes uires & iustitias humanas.

X Regnum Christi est, iustificare spiritu & saluare credentes, nullo uel bonorum uel malorum operum respectu.

XI Sicut Euangelio sola fides iustitia est, ut scilicet si omnia omnium peccata feceris, tamen credis misereri tui patrem propter Christum, saluus sis. Ita econtra Euangelio sola incredulitas peccatum est.

Idē in Annot. 1. Cor. 1.

XII Philosophia omnia tribuit nostris uiribus & operibus, Euangelium omnia adimit, docens, non aliud esse iustificationem nisi credere in Christum.

Paulus

XIII Paulus perſpiciebat futuros, qui doctrinis operum doctrinam fidei obſcurarent, qui iuſtificationem operibus tribuerent, non Chriſto.

XIIII Quid abſurdius eſt iudicio humanæ ſapientiæ, quàm ſine operum reſpectu, non iuſtos, ſed peccatores ſaluos fieri.

XV Sicut Euæ propoſuit ſerpens, Eritis ſicut dij &c. Ita Satan proponit nobis Euangelij uilitatem, ſtulte fingi, quod ſola fide remittantur peccata, quod ſola cruce ſanctificemur. Deinde addit nouum modum, quo dij fiamus, oſtendit opera ſpecioſa, & in operibus quæri ſalutem.

XVI Fidei nomen ſimplex eſt, & unius tantum ſignificationis. Cauendus enim eſt Sophiſtarum mos diſcerpendi uocabula in tot modos.

XVII Ideo fides acquiſita, item fides informis, & omnia illa phantaſmata Sophiſtarum ſunt inſaniæ falſæ & impoſturæ.

XVIII Non credit humana ratio neq; eſſe Deum, neq; ullum Dei uerbum eſſe.

XIX Proinde quod antea uocaui hiſtoricam fidem, nunc uocabimus iuxta Apoſtolum. j. Tim. j. fidem fictam, aut ſi mauultis, ſophiſticam fidem uel acquiſitam.

XX Atq; hinc intelligis, fidem principium eſſe & radicem omnis iuſtificationis, & charitatem eſſe fructum fidei.

Ecce tibi, Religioſe & bonorum operum ſtudioſe Imperator, noui huius Euangelij ſpecioſum fructum, nempe ſolam fidem, qua ſaluantur homines abſq; omni operum & bonorum & malorum reſpectu. Noui inquam Euangelij, quod antea nemo docuit, nemo audiuit. Certe Chriſtus ab operibus pœnitentiæ Euangelium ſuum incœpit, non ſolum docendo uerum etiam uiuendo, Matth. iiij. Et Petrus mox poſt acceptum ſpiritum ſanctum, interrogatus à Iudæis conuertendis ad Chriſtum, quid facere debeant, ait. Pœnitentiam agite & baptizetur unuſquiſq; ueſtrum, Act. ij. Et Paulus à Chriſto in terram proſtratus, mox tremens ac ſtupens dixit, Domine quid uis me facere. Et Dominus ad eum. Surge (inquit) & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere Act. ix. Qui deinde conuerſus & baptizatus conſtantiſsime annunciauit Euangelium Chriſti publice & per domos, teſtificans Iudæis atq; Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in dominum noſtrum Iheſum Chriſtum, Act. xx. Nam & Chriſtus ita præceperat Apoſtolis Luc. xxiiij. prædicare in nomine

19 *Nouum Euangelium de ſola fide.*

eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes. Nusquam autem docuit solam fidem Christus, nusquam Apostoli, nusquam Apostolorum discipuli, Noui uero Euangelistæ isti nihil frequentius docent, nihil contentiosius asserunt, quàm solam fidem. Ego hic breuitatis gratia, ex uno aut altero eorum libello pauculos produxi locos, uelut exempli causa, Quod si omnes eorum absurditates, quas hac de re in omnibus fere libris suis disseminauerunt, commemorare uelim, totum profecto biduum (ne dicam biennium) ad enumerandum mihi necessarium foret.

20 Quis enim percenseat, omnem Lutheri barbariem, quam irreligiosissime in sermonibus suis populo contra bona opera de sola fide inculcauit? Vbi inter innumera id genus dogmata dicere ueritus non est, Quanto sceleratior es, tanto citius Deus gratiam infundit. Item, Coram Deo nulla re indiges nisi nuda duntaxat fide. Item, Quando ad Deum ascendere uolumus, debemus soli cum Isaac uenire, id est, cum fide: Seruos & asinos deorsum relinquere, id est, opera. Item, Via est angusta, oportet te tenuem fieri, si per eam iturus sis & petram penetraturus, Qui operibus, perinde atq; Iacobi peregrinus conchilibus, onerati sunt, ij penetrare non possunt.

21 Cum igitur eiusmodi sermonibus populus Lutheranus usq; adeo factus esset irreligiosus & totius cultus Dei negligens, ut opus fuerit Lutheranis Principibus nouos instituere Visitatores, qui oppidatim ac uicatim circumeuntes, aliquid religionis tum docendo tum examinando incuterent, Egregij Euangelistæ isti ambo præscripserunt formulam quandam uisitandi, Philippus latine, Lutherus Teuthonice, ubi, ut eam inuidiam à se in alios reijcerent, questi sunt male prædicari à pastoribus & concionatoribus suis de sola fide, perinde ac si ipsi nihil tale unquam aut docuissent aut scripsissent. Sic enim exorsus est Philippus. Pastores (inquit) debent exemplum Christi sequi, qui quoniam pœnitentiam & remissionem peccatorum docuit, debent & ista pastores tradere Ecclesijs. Nunc uulgare est uociferare de fide, & tamen intelligi quid sit fides, non potest, nisi prædicata pœnitentia. Plane uinum nouum in utres ueteres infundunt, qui fidem sine pœnitentia, sine doctrina timoris Dei, sine doctrina legis prædicant, & ad carnalem quandam securitatem assuefaciunt uulgus. Ea securitas est deterior quàm omnes errores antea sub Papa fuerunt. Hoc genus Concionatorum describit Hieremias & uituperat eos, qui dicunt, pax pax, & non est pax. Hæc Philippus. Ex quibus M. T. Cæsar facile intel-

ligit quàm

ligit quàm misere sit peruersus homo iste & proprio iudicio (ut Apo= Tit. 3.
stolus prædixit) condemnatus, qui hic damnat doctrinam de sola fi=
de, quam & sparsit ipse prius latissime, & in Apologia sua rursus de=
fendit contentiosissime. Propter quod sane inexcusabilis est, ut ait A=
postolus. In quo enim alterum iudicat, seipsum condemnat. Et in ea= Rom. 2.
dem damnatione est & Lutherus suus quem defendit. Nam & ille ne=
quissima hypocrisi dissimulat in Visitatione, se uspiam de sola fide
uel prædicasse uel scripsisse. Sic enim ait homo mendax. Docuimus
itaq; & admonuimus Parochos, ut Euangelium integre (quemad=
modum tenentur) prædicent, non particulam unam absq; altera. Qui
autem pœnitentiam non prædicant, magnam partem auferunt à scri=
ptura &c. Quod si hoc uerum est, ut est, cur ipse rursus docet, solam fi=
dem absq; omni opere iustificare? Nunquid sine omni opere agitur
pœnitentia? Nonne uero propter peccata commissa iniungitur pœ=
nitentia? Ait enim Dominus Luc. v. Non ueni uocare iustos, sed pec=
catores ad pœnitentiam.

Simili excusatione & hypocrisi utitur Philippus in Apologia sua, 22
dum ait, Facienda sunt opera propter mandatum Dei, item ad exer= Cur Phil. ta=
cendam fidem, item propter confessionē & gratiarum actionem &c. cet hic opera
Subdole autem reticet hic de pœnitentia. Cur ita? Quia opera pœni= pœnitentiæ.
tentiæ ad remissionem peccatorum, id est, ad iustificationem condu=
cunt, quam ille contra scripturas soli fidei attribuit. Scriptum sane est
Leuit. v. Agat pœnitentiā pro peccato, & offerat de gregibus agnum
siue capram, orabitq; pro eo sacerdos & pro peccato eius & dimitte=
tur ei. Et. ij. Paralip. vij. ait Dominus. Si populus meus deprecatus me
fuerit, & exquisierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à uijs suis
pessimis, & ego exaudiam de cœlo, & propicius ero peccatis eorum.
Et Ezech. xviij. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis
suis, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iusti=
ciam, uita uiuet & non morietur. Et Matth. xj. Christus cœpit expro=
brare ciuitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ uirtutes eius, quia non
egissent pœnitentiam. Et Luc. xiij. dire comminatur, dicens. Nisi pœ=
nitentiam habueritis, omnes simul peribitis.

At nusquam ait Christus, sicut ait Lutherus, Contritio & pecca= 23
torum confessio, deinde & satisfactio, subito te deserent & infœlicio=
rem reddent. Nec ait, ut Philippus, simpliciter fides imputatur pro iu=
stitia, qualiacunq; sint opera. Sed ait Matth. xj. olim in cinere & cilicio
pœnitentiam egissent. Veruntamen dico uobis, Tyro & Sydoni re=
 missius

missus erit in die iudicij quàm uobis. Et Paulus .ij. Cor. xij. Ne iterum cum uenero, humiliet me Deus apud uos & lugeam multos ex ijs qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immundicia & fornicatione & impudicitia quam gesserunt. Et apertius c. vij. Quæ secundum Deum (inquit) tristitia est, pœintentiam in salutem stabilem operatur. Et Apostoli Act. xj. aiunt. Ergo & gentibus pœnitentiam Deus dedit ad uitam. Ex his profecto & id genus innumeris scripturæ testimonijs manifestum est, opera pœnitentiæ conducere ad salutem, ad uitam, ad remissionem peccatorum, & ad iustificationem impij. De quibus fraudulenter tacet in præconijs operum simulator iste, ut solam fidem impie defendat, & miseros peccatores à pœnitentiæ operibus retrahat, ut Diabolus imparatos inueniat, & Christus eos cum fatuis uirginibus, quæ non habent oleum in lampadibus suis, excludat. Hoc enim quærit Satan per ministros suos. Cui sanæ maliciæ hypocritice prætexit gloriam Christi, qui iustificat gratis. Qualis autem esset gloria Christi, si nullum haberet respectum operum nec bonorum nec malorum? Quomodo posset esse iustus iudex, ut redderet unicuiq; secundum opera sua, si nullus sit apud eum operum respectus? Inexcusabilis est igitur ista de sola fide contentio, quantiscunq; uerborum floribus exornetur & coloretur à uerboso isto rhetore. Nam & contra scripturam contendit & contra uerba sua propria, ut dictum est.

24 Vtitur & alia fallendi decipula, dum multas corradit scripturæ sententias de iustificatione per Christum gratis nobis exhibita in baptismo, ut per eam incautis persuadeat, similem esse iustificandi rationem & modum in pœnitentia pro peccatis post baptismum perpetratis. At lõge alia est ratio de pueris quàm de adultis. Paruuli enim dum baptizantur, per gratiam Christi uirtute baptismi iustificantur in fide Ecclesiæ, à peccato Originali, cum nullum habeant peccatum actuale. Non requiruntur igitur ab eis opera pœnitentiæ, tum quia per ætatem operari non possunt, tum quia nulla peccata propria perpetrarunt. Cæterum ubi baptizantur adulti, sicut fides propria, ita & pœnitentiæ opera ad iustificationem eorum requiruntur, iuxta illud Petri Act. ij. Agite pœnitentiam & baptizetur unusquisq; uestrum in nomine Iesu Christi. Qua de re insignem scripsit librum B. Augustinus de fide & operibus inscriptum.

Duplex iustificatio, una per baptismum, altera per pœnitentiam.

25 Peccantibus uero post baptismum, nemo Apostolorum aut Prophetarũ dicit, ut dicit Lutherus. Nulla uos peccata damnare possunt

nisi sola

nisi sola incredulitas. Cætera omnia absorbentur in momento per fidem promissionis in baptismo factæ. Nec dicunt ut Philippus iste dicit. Neminem neq; opera bona saluant neq; damnant mala. Sed dicunt Prophetæ. Esaias quidem sic. Quiescite agere peruerse, discite bene facere &c. Hieremias sic. Noli subtrahere uerbum, si forte audiant & conuertantur unusquisq; à uia sua mala, & pœniteat me mali quod cogitaui facere eis propter maliciam studiorum eorum. Et Ezechiel. Viuo ego dicit Dominus, Nolo mortem impij, sed ut conuertatur impius à uia sua & uiuat. Et Daniel. Peccata tua elemosynis redime, forsitan ignoscet Deus delictis tuis. Et Iohel. Nunc ergo dicit Dominus, Conuertimini ad me in toto corde uestro, in ieiunio & in fletu, & in planctu. Quis scit, si conuertatur & ignoscat Deus & relinquat post se benedictionem. Et longe ante hos Prophetas ait Iob. Idcirco ipse me reprehendo & ago pœnitentiam in fauilla & cinere. Et sane tam placita & accepta fuit Deo eius pœnitentia, ut propter orationem eius etiam amicorum eius stultitiam Deus non imputauerit. Sic Dauid. Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Item. Cinerem tanquam panem manducabam, & poculum meum cum fletu miscebam. Hæc & id genus multa Prophetæ de operibus pœnitentiæ ad obtinendam à Deo iustificationem seu remissionem peccatorum. Ad quæ & Apostoli strenuissime simul & fidelissime adhortati sunt. Petrus Act. viij. ad Simonem magum. Cor tuum non est rectum coram Deo, pœnitentiam itaq; age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. Et Paulus ad Romanos. Hora est iam nos de somno surgere, nunc enim propior est nostra salus quàm cum credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum & induamur arma lucis. Et ad Corinthios. Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Et ad Ephesios. Surge qui dormis & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Et Iacobus. Appropinquate Deo & appropinquabit uobis. Emundate manus peccatores, & purificate corda duplices animo. Miseri estote & lugete & plorate, risus uester in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem. Humiliamini in conspectu Domini, & exultabit uos.

Esa. 1. Hiere. 26. Ezech. 33. Dan. 4. Iohel. 2. Iob. 42. Psal. 41. & 101. Rom. 13. 2. Cor. 7. Ephe. 5. Iac. 4.

Hæc & id genus multa de operibus pœnitentiæ dissimulat rhetor iste, quia amara sunt, & populo irreligiosissimo (cui magis placent opera carnis) ingrata. Multi enim hodie sunt, qui huiusmodi magistris nouæ doctrinæ dicunt. Loquimini nobis placentia, uidete nobis 26

Esa. 30.

errores, auferte à me uiam, declinate à me semitam. Id rhetor iste (quemadmodum & Lutherus eius) non ignorans, callide scalpit aures populo tali, dicens, Sola fides iusticat, qui docent opera, obscurant gloriam Christi, qui peccata remittit gratis, qui satisfecit pro nobis omnibus, ut satisfactione nostra nihil sit opus &c. Ad hæc plaudit populus, non acquisitionis, sed perditionis, & ait, sacerdotum tyrannide iugum pœnitentiæ laicis impositum esse, soli Deo confitendum esse, peccata remitti gratis, ut nulla sit opus satisfactione nostra aut iniun-

Esa. 59. cta per sacerdotem pœnitentia. Sed audiant isti & sacerdotes & populi, quid dicat Dominus. Confidunt in nihili, & loquuntur uanitates, conceperunt dolorem & pepererunt iniquitatem, Oua aspidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt. Qui comederit de ouis eorum, morietur: & quod confotum est, erumpet in regulum. Telæ eorum non erunt in uestimentum, neq; operientur operibus suis, opera eorum opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum. Contra tales gra

Cypria. de lapsis, & Aug. de fide & operibus. uißime inuehitur Cyprianus. Hæc (inquit) doctrina, noua quædam persecutio est, per quam subtilis inimicus occulta populatione grassatur, ut lamentatio conquiescat, ut dolor sileat, ut delicti memoria uanescat, comprimatur pectorum gemitus, statuatur fletus oculorum, ne Dominum grauiter offensum, longa & plena pœnitentia deprecetur,

Apoc. 2. cum scriptum sit. Memento unde cecideris & age pœnitentiam.

Deceptores populi. At Doctores isti ne breuem quidem pœnitentiam docent, sed sola fide & recordatione baptismi mox in momento cuncta peccata absorbent, & reprobant etiam Nicenam Synodum propter institutas

Esa. 3. pœnitentiæ formulas. In quos Propheta dicit. Popule meus qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & uiam gressuum tuorum dissipant. Stat ad iudicandum Dominus, & stat ad iudicandos populos. Noli igitur credere popule insipiens huic Philippo, dicenti, Neminem neq;

Matth. 16. bona opera saluant, neq; damnant mala, Quia Christus ipse contra-

Ioh. 5. rium docet, redditurus in iudicio unicuiq; secundum opera eius. Et

Esa. 59. procedent qui bona egerunt in resurrectionem uitæ. Qui uero mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Qui & per Prophetam ait. Ecce non est abbreuiata manus Domini ut saluare nequeat, neq; aggrauata est auris eius ut non exaudiet, sed iniquitates uestræ diuiserunt inter uos & Deum uestrum, & peccata uestra absconderunt faciem eius à uobis, ne exaudiret.

27 Quando igitur Paulus dicit, Rom. iij. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quẽ proposuit

Deus propiciatorem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ&c. Per uerba ista nequaquā tribuit soli fidei iustificationem, ut mentiuntur isti, quia addit gratiam, addit redemptionem & meritum passionis Christi, addit redemptionis precium, nempe preciosum eius sanguinem. Et paulopost superaddit & spiritum sanctum & dona eius spem & charitatem Rom. v. Quin etiam pœnitentiæ opera subiungit Rom. vj. dicens. Sicut exhibuistis membra uestra seruire immundiciæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra uestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Iustificatur itaq; homo non per solam fidem, sed per gratiam Dei, per redemptionem Christi, per preciosum eius sanguinem, qui non est fides, per spiritum sanctum qui & ipse nō est fides, per sacramenta baptismi & pœnitentiæ, quæ & ipsa fides nō sunt, per spem item & charitatem, quas certe fidem dicere non poterit Rhetor iste, quia Paulus dicit, Fides, spes, charitas, Tria hæc, maior autem horum charitas. j. Cor. xiij. *Multa sunt quibus iustificamur, & nō sola fide.*

Quod autem istæ uirtutes iustificent, ex Paulo itidem patet, qui ait Rom. v. Spes autem non confundit, & Rom. viij. Spe enim salui facti sumus. Et de charitate Rom. xiij. Qui diligit proximum, legem impleuit. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio. Cui astipulatur & illud. j. Ioh. iij. Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad uitam, quomodo diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte. Cui simile est quod Paulus ait. j. Cor. xiij. Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et illud Salomonis Prouer. x. Vniuersa delicta operit charitas. Sicut igitur impossibile est, sine fide placere Deo, ita & impossibile est sine charitate per solam fidem iustificari, quia fides sine charitate nihil est, & sine operibus mortua est in semetipsa, Iac. ij. Inanis est igitur contentio & perniciosa deceptio, quæ de sola fide blaterat. 28

Nec sequitur ex Paulo, sine dilectione nos iustificari, eo quod dicit, Iustificati gratis, Quia eadem ratione nec fide iustificaremur. Nam & fidem & dilectionem ac spem gratis dono Dei accipimus, Ephe. ij. Gratia enim saluati estis per fidē, & hoc non ex uobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur. Eadem item ratione nec opera pœnitentiæ à iustificatione excludi debent, Nam & ipsa gratis per gratiam Dei accipimus. Quid enim habemus quod non accepimus? j. Corin. iiij. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo in operibus bonis quæ præparauit Deus ut in illis ambulemus Ephe. ij, 29 *Iustificati gratis.*

Sicut

Sicut igitur fides nostra Dei donum est, ita & bona opera nostra Dei dona sunt. Ex gratia enim eius sunt, ergo gratis à Deo accepimus, iuxta illud Apostoli. j. Corin. xv. Abundantius illis omnibus laboraui, non ego autem, sed gratia Dei mecum.

30 Pessime igitur excludunt noui isti Theologi à fide iustificante bona opera & dilectionem, quæ Paulus & Iacobus adeo non excludunt nec separant à fide, ut etiam necessario coniungant. Paulus enim ait Gal. v. Fides quæ per dilectionem operatur. Et. j. Corin. xiij. Fides sine charitate nihil est. Et Iacobus increpans istos ait, Ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam, quoniam fides sine operibus mortua est. Paulus itaq; breuissime hæc tria, fidem, dilectionem & opera simul cõplectens & in unum coniungens, ait, Fides quæ per dilectionem operatur. Procul igitur ableganda est hæc uox, Sola, ab his donis Dei, quæ Deus donat coniunctim, uti plærisq; in libris testatur ac docet S. Augustinus, nempe fidem, spem & charitatem, uirtutes infusas & theologicas, non mortuas sane aut ociosas, sed uiuas, & per gratiam fructificantes. Charitas enim legem adimplet Rom. xiij. Charitas patiens est, benigna est, charitas omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. j. Cor. xiij. Fides uero sine operibus charitatis informis est & ociosa, immo & mortua in semetipsa, id quod clarissime testatur S. Iacobus, uti sæpe dictum est.

31 At rhetor iste uersipellis, quum hanc uocem, sola, circa fidem nusquam in scripturis coniunctam reperire queat, contendit eam per alia quædam uerba subintelligendam esse, dicens. Offendit quosdam particula, sola, Cum & Paulus dicat. Arbitramur hominem iustificari fide, non ex operibus. Item Ephe. ij. Dei donum est, non ex uobis, neq; ex operibus, ne quis glorietur. Item Rom. iij. Gratis iustificati. Si displicet exclusiua, sola, tollant etiam ex Paulo illas exclusiuas, gratis, non ex operibus, donum est &c. Nam hæ quoq; sunt exclusiuæ. Quid audio? Nouam profecto in noua ista Theologia grammaticam, Nempe, quod hæ uoces, gratis, non ex operibus, donum est, idem significent quod hæc uox Sola. Deinde quod gratis iustificari significet, sola fide iustificari. Tertio, nouam quoq; Dialecticen astruit rhetor iste, dum hanc intendit consequentiam, Fides Dei donum est, ergo sola fides iustificat. Quarto, quod idem sit dicere, sine operibus, & sine operibus legis.

32 Vide obsecro, Cæsar, quàm effrons sit rhetoris huius impudentia & improbitas

& improbitas. Certe non ignorat (si modo legere non contempsit) quid ego in Minotauro ad Lutheri consimilem excusationem respon derim. Non ueretur tamen, idipsum & argumentandi uitium & falsi crimen, cuius illum publice coargui & conuici, ad M. T. in præclara ista Apologia usurpare. Falsi profecto crimen est hic duplex. Primo, quia ubi Paulus ait. Fide, iste ait, sola fide, addens ad uerbum scripturæ, sola. Deinde quia ubi habet Paulus, sine operibus legis, ipse ait, sine operibus, auferens ex textu hanc uocem, legis. Cum tamen præcipua ibi disputatio Pauli sit de obseruationibus seu operibus legis Mosaicæ, non de bonis operibus Christianorum quæ sub Euangelio per gratiam Dei fiunt. Quemadmodum ex Actibus Apostolorum & ex Epistola ad Galatas clarius patet. Quis ergo dedit ei potestatem ita corrumpendi textum, contra utriusq; Testamenti manifestam prohibitionem? Cur ad uerbum Dei addit? cur aufert? Tolle crimen, & nihil ualet eius argumentatio contra nos. Vltro enim fatemur, hominem iustificari fide sine operibus legis Mosaicæ. Non concedimus autem, hominem iustificari sola fide. Id probet rhetor, si potest. Certe per supradictas expositiones & consequentias non probabit in æternum, quia ridiculæ sunt & absurdæ, quæ mox ubi proferuntur, risu omnium exceptæ, cōmuni cachinno exploduntur. Quis enim non rideat hanc expositionem, Gratis, id est, sola fide. Paulus enim manifeste dicit, Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem &c. De dono item iam supra ostensum est, quod nō sola fides, sed & charitas & spes & bona opera sint Dei dona, gratis data nobis. Quis enim prior dedit ei & retribuetur ei? Roma. ij. Gratis accepistis, gratis date, Matth. x. Non utiq; solam fidem, sed omnia illa dona, quæ Christus ibidem & Mar. xvj. & Luc. x. Et Paulus. j. Cor. xij. & Ephe. iiij. commemorant. Vanissimæ sunt igitur huius excusationis nugæ.

Crimen falsi.

Act. 15. & 21. Gal. 3. 4. 5. Deut. 4. & Apoc. 22.

Pari quoq; dexteritate alteram mox de sola fide (quam scriptura nulla ponit) excusationem adiungit, dicens. Excludimus autem opinionem meriti, non excludimus uerbum aut sacramenta, ut calumniantur aduersarij. Ita ne calumniamur? At uerba Lutheri, superius recitata, manifeste sic habent. Baptismus neminem iustificat nec ulli prodest, sed fides in uerbum promissionis cui additur baptismus. Et, Ita nec uerum esse potest, sacramentis inesse uim efficacem iustificationis, seu esse ea signa efficacia gratiæ. Sed & Philippus iste publice scripsit, manifesto errore tribui sacramentis noui Testamenti uim iustificandi, eo quod sola fides iustificet. Sed & hæc impia & abominabilia uerba

33

Art. 17. & 18

Phil. in Locis cōmunibus c. de signis.

adiecit. Non iustificant signa, ut Apostolus ait. Circumcisio nihil est, ita baptismus nihil est, Participatio mensæ Domini nihil est. Ita sine signo iustificari potes, modo credas, adeo non iustificant signa. Hæc ipse. Vides igitur Auguste, ab his, ubi solam fidem prædicant & iustificare affirmant, manifeste excludi Sacramenta noui Testamenti. Vnde necessarium mihi olim uisum est, duos bene longos in Lutherum, ob hanc impietatem scribere libros, unum de gratia sacramentorum, alterum de baptismo paruulorum. Ipse enim in assertione sua, primum articulum (in quo sacramenta nouæ legis gratiam dare negat) probaturus ait. Scriptura sic dicit. Iustus ex fide sua uiuet; non dicit, Iustus ex sacramentis uiuet.

34 Nos tamen hic non modo de sacramentis, sed etiam de alijs Dei donis, quæ Paulus uocat charismata meliora. j. Cor. xij. contendimus, nempe quod ad iustificationem impij nõ requiritur sola fides, sed concurrunt & alia Dei dona, quæ non sunt fides, & quidẽ multa, nempe, gratia dei, dilectio, spes, redemptio & meritũ passionis Christi, sanguis & mors Christi, opera pœnitentiæ, timor Domini, & quicquid boni precibus lachrymisq; & ieiunijs ac elemosynis homo præstare potest ad placandum deum quem peccando offenderat. Friuola est igitur & falsa Philippi excusatio, dum ait. Nos excludimus opinionem meriti, non excludimus uerbum aut sacramenta. Constat enim eos & sacramenta & opinionem meriti impie excludere, absq; omni necessitate & causa. Nos enim ante iustificationẽ nulla in homine merita bona ponimus, merita enim ex gratia cooperante proueniunt. Ante iustificationem uero ea gratia (quã gratum facientem dicimus) homini non inest, sed per iustificationem à Deo confertur, immo per eam homo iustificationem à Deo accipit. Deus est enim qui principaliter & effe-

Esa. 50. ctiue iustificat. Vnde ait Propheta. Scio quoniam non confundar,
Rom. 8. iuxta est qui iustificat me. Et Apostolus. Quos uocauit, hos & iustificauit. Item. Deus qui iustificat, quis est qui condemnet?

35 Simpliciter igitur falsa, temeraria & impia est hæc rhetoris & Lutheri sui propositio, Sola fides iustificat. Sciunt enim Theologi, eam in scripturis nusquam haberi, Sciunt Grammatici, non idem significare Gratis & Sola. Sciunt Dialectici, ex ea falsum inferri, nempe istud. Ergo nihil præterquàm fides iustificat. Et hoc quoq; falsum. Ergo quicquid iustificat, fides est. At iustificat Deus, iustificat gratia, iustificat charitas, iustificant sacramenta, iustificant elemosynæ, preces, lachrymæ, & alia pœnitentiæ opera, quæ non sunt fides, Quemadmo-

Propositio simpliciter falsa.

dum de

dum de publicano pectus suum percutiente & orante, ait Dominus Luc.xviij.quod descenderit iustificatus in domum suam. Ergo non sola fides iustificat. Ex uero enim nil nisi uerum sequitur. Verbi gratia, Ex hac uera, solus Deus creat ex nihilo, recte sequitur, ergo nihil aliud & nemo alius præterquàm Deus creat ex nihilo. Sic & ex ista. Solus homo est animal rationale, bene sequitur, ergo nihil aliud quàm homo est animal rationale. Et quicquid est animal rationale, est homo. Ex ista uero, Sola fides iustificat, sequuntur multa falsa, ut ostensum est, ergo & ipsa est & permanet in æternum falsa, etiam si Demosthenes, Aristoteles, Plato, Chrisippus, Cicero & tota philosophorum ac Oratorum caterua totis ingenij & eloquentiæ uiribus eam defendere aut asserere uelint, Tantum abest, ut timeamus futilem assertionem aut uerbosi huius rhetoris aut minacis ac seditiosi eius Lutheri. Non enim à comptis, uersutis aut multis minacibusue uerbis, sed ab eo quod res est uel non est. Oratio uera aut falsa dicitur. Quod igitur reipsa falsum est, nullo uerborum fuco aut artificio unquam uerum reddi potest.

Fingat igitur sibi rhetor iste quaslibet fidei definitiones nouas, de quibus iactitat in scholasticorum Theologorum scriptis ne unam quidem extare syllabam, nobis una sufficit fidei definitio, quam Paulus ponit Heb.xj. Et ne solam fidem iustificare credamus, cogit nos efficax & infallibile dictum eiusdem Apostoli.j.Corinth.xiij. Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil sum. Iam qui dicit, OMNEM, is nullam profecto excludit. Ergo si uel mille fingeret fides hic rhetor, de quibus nihil sciant nostri Theologi, tamen omnes mille fides illæ, absq; charitate nihil prodessent. Libenter autem agnoscimus hanc de eius noua fide ignorantiam, ne agnita illa cum eo post Lutherum curramus in abyssum impietatis & æternæ damnationis. Non enim turpe nobis est, ignorare quod ignorauerunt Christus & eius Apostoli. Certe Christus uel maximam fidem sine charitate & bonis operibus noluit agnoscere Matth.vij. in ijs qui prophetauerant dæmoniaq; eiecerant & uirtutes multas in nomine eius fecerant, quibus se dicturum affirmat, Nunquam noui uos. Et Paulus eam quoq; fidem, quæ montes trāsfert (de qua Christus prædixerat Matth. xvij.) sine charitate pro nihilo habet. Iacobus item fidem absq; operibus mortuam existimat. Quancunq; igitur aut quantamcunq; effinxerit fidem seu Philippus seu Lutherus, ea sola, sine charitate & sine operibus bonis adeo non iustificat, ut ne prosit quidem, neq; etiam uiuat,

36 *Quæcunq; fides sine charitate nihil prodest.*

ſed mortua ſit in ſemetipſa. Quemadmodum iam ſæpe per ſcripturas euicimus.

37 *Quid fides Philippica.* Et tamen ita ſuperbit de noua fide ſua Philippus, rhetoricus iſte Theologus, ut etiam S. Hieronymum reprehendat & reijciat, eo quod opinioni ſuæ contrarius exiſtat. Ipſe enim fidem ſuam ſic deſcribit. Hæc (inquit) fides ſpecialis, qua credit unuſquiſq; ſibi remitti peccata propter Chriſtum, & Deum placatum & propicium eſſe propter Chriſtum, conſequitur remiſsionem peccatorum, & iuſtificat nos, & quia in pœnitentia, hoc eſt in terroribus, conſolatur & erigit corda, regenerat nos, & affert ſpiritum ſanctum, ut deinde legem Dei facere poſsimus. Et poſt pauca addit. Illa fides, quæ iuſtificat, non eſt tantum notitia hiſtoriæ, ſed eſt aſſentiri promiſsioni Dei, in qua gratis propter Chriſtum offertur remiſsio peccatorum & iuſtificatio. Et nequis (inquit) ſuſpicetur, tantum notitiam eſſe, addemus amplius, eſt uelle & accipere oblatam promiſsionē remiſsionis peccatorum & iuſtificationis. Et infra. Cum autē de tali fide loquamur, quæ non eſt ocioſa cogitatio, ſed quæ à morte liberat, & nouam uitam in cordibus parit, & eſt opus ſpiritus ſancti, non ſtat cum peccato mortali, ſed tantiſper dum adeſt bonos fructus parit, ut poſtea dicemus. Quid poteſt dici de conuerſione impij, ſeu de modo regenerationis, ſimplicius & clarius?

Has & id genus multas de ſpeciali fide ſua nugas decies uicieſue ſubinde prolixa uerboſitate repetit, & tamen nuſquam dicit quid ſit, aut an ſit ea fides, quam Paulus Heb. xj. dicit ſperandarum ſubſtantiam rerum & argumentum non apparentium. An non ſit ea ſed alia, niſi quod ſæpiſsime repetit, eam eſſe iam fiduciam, iam aſſenſum in promiſsionem remiſsionis peccatorum propter Chriſtum. Quid ageret homo uerboſus niſi ut in commento nouo, quod definire neſcit, nugacibus & indefinitis luderet uerbis?

38 *Quæſtio de paruulis baptizatis.* Quin dicat nobis breuiter, ſi hæc ſomniata fides ſua iuſtificat & regenerat ſola, num paruuli baptizandi, qui omnium rerum ignari per ſeſe neq; fidunt neq; aſſentiuntur promiſsioni, quia neſciunt eam, uere per baptiſmum iuſtificentur & regenerentur? Si neget, Anabaptiſta eſt, Si fateatur, mendax eſt & deſtruit ſeipſum, quia fatetur, non ſolum, quod non iuſtificet & regeneret ſola, ſed etiam, quod ſine ea iuſtificentur & regenerentur paruuli per gratiam & uirtutem ſpiritus ſancti, quam accipiunt in baptiſmo per Chriſtum, qui baptizat in ſpiritu ſancto & igne Matth. iij. & Ioh. j. Non enim interrogantur ibi, an fidant aut aſſentiantur huic promiſsioni, aut etiam illi, Qui crediderit

& baptizatus fuerit, saluus erit. Sed interrogantur simpliciter, an credant in Deum patrem omnipotentem, Et in Ihesum Christum natum, passum &c. Et in spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam &c. Vanissima sunt igitur commenta & Lutheri & Philippi de sola fide in eiusmodi promissiones, quas paruuli neque sciunt neque interrogantur. Vnde miseris Anabaptistis data est (ut sæpe dixi) tam grauis erroris occasio. Qui stulte credentes his seductoribus de sola fide, non baptizant paruulos, & rebaptizant adultos tanquam frustra & inaniter baptizatos in infantia, eo quod infantes per sese non credunt nec fidem propriam ad baptismum afferunt, qua sola, non uirtute baptismi, contendunt (quemadmodum & isti contendunt) iustificari & regenerari homines.

Videt ergo M. T. Imperator, quàm nihil prosint, immo quantum obsint hæ nugæ de sola fide, quæ sit (ut iste dicit) fiducia & assensio in promissionem Dei &c. In prima enim iustificatione nostri (quam infantes in baptismo accipimus per infusionem gratiæ & charitatis, diffusæ in cordibus nostris per spiritum sanctum Rom. v. In quo baptizamur Ioh. j.) de speciali illa fide Philippi nihil prorsus & nouimus aut interrogamur, ubi sic omnium rerum ignari sumus paruuli, ut omnino nesciamus quid in baptismo nobiscum agatur, tantum abest, ut fidamus aut assentiamur nugaci illi fide in prædictas promissiones. Interrogamur autem de symbolo & fide Ecclesiæ, quam per alios, utpote responsione patrinorum, profitemur, quia infantes per nos ipsos neque credere neque profiteri in ea ætate possumus. Iustificamur nihilominus uirtute baptismi in spiritu sancto, per quem gratia & charitas diffunditur in cordibus nostris, nosque perfecte ab omni peccato abluit & sanctificat. j. Cor. vj. & Gal. iij. atque in nouum hominem regenerat, Ioh. iij. Tit. iij. Ephe. iiij. *Baptismus paruulorum.*

Cum autem non liceat nobis lauacro regenerationis iustificari & à peccatis emundari sępe, sed semel tantum Heb. vj. quid obsecro faciet sola fides in adultis, qui post baptismum peccantes & peccatorũ onere grauati, quærunt remissionem peccatorum & iustificationem à Deo? Quid ergo in talibus faciet sola fides? Erronea profecto & ridicula fides est, si publica meretrix nihil aliud faciat ut iustificetur, quàm quod credat sibi à Deo propter Christum remitti peccata, sola fide, absque omni opere pœnitentiæ, sine contritione cordis, sine bono proposito desistendi à peccatis, sine confessione, sine absolutione & iniuncta pœnitenita. Dicat igitur hic nobis Rhetor iste, quomodo sine omni 39

opere iustificari debeat sola fide meretrix in prostibulo. Nunquid rebaptizanda est, ut fides ipsam regeneret? Philippica enim fides ista non solum iustificat sed etiam regenerat, ut sæpe asserit Philippus. At si hoc sentiat, Anabaptistis peior est. Quid ita? quia illi semel tantum rebaptizant, hic toties rebaptizabit, quoties fide illa iustificante opus erit, hoc est, quoties homo peccauerit & peccatorum remißione opus habet.

40 Forte dicet nobis, hominem sine baptismo per solam fidem regenerari. Vnde uero id probet? Certe Christus Ioh. iij. renasci nos ait ex aqua & spiritu sancto, & Paulus Tit. iij. baptismum uocat regenerationis lauacrum, non solam fidem. Ostendat ergo Philippus nobis ullam scripturam, qua affirmet hominem sæpius regenerari, uel regenerari sola fide sine baptismo. Semel certe generatur ex utero matris, & semel regeneratur in baptismo. Sæpius autem iustificatur, nempe quotiescunq; à peccatis absoluitur. Quomodo autem iustificabit aut regenerabit eum sola fides Philippica, quam Philippus cum peccato mortali stare negat? O nugacem fictitiamq; fidem, quæ peccatorem aut absens iustificat, quia cum peccato non stat, aut à foris stans, peccatum prius oppugnat, & eijcit, deinde intrat ut iustificet. Quis tantam precor sapientiam de sola fide unquam audiuit?

41 *Atrox & ea gemina in S. Hier. calũnia.*

Et tamen sapiens hic uir, qui plus sapit quàm oportet, ob hanc fidem suam, non modo nos, quos pro aduersarijs habet, uerum etiam Diuum Hieronymum, quem præceptoris loco habere merito deberet, reprehendere audet, & quidem atrocißima cum iniuria, eaq; duplici. Nam & textus deprauati crimen, & Euangelij subuersionem imputare tanto uiro non ueretur. Etenim textum Danielis ita uertit S. Hieronymus. *Dan. 4.* Quamobrem Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua elemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum, forsitan ignoscet Deus delictis tuis. Hic uero textus, cum tribuat nonnihil operibus ad parandam remißionem peccatorum & iustificationem, hanc interpreti notam censoria superbiæ suæ uirgula & ignito inuidiæ cauterio inurit Philippus. Hieronymus (inquit) hic præter rem addidit dubitatiuam particulam, & multo imprudentius in Commentarijs contendit remißionem peccatorum incertam esse. Sed nos meminerimus (ait) Euangelium certo promittere remißionem peccatorum. Et hoc plane fuerit Euangelium tollere, negare, quod certo debeat promitti remißio peccatorum. Dimittamus igitur hoc in loco Hieronymum. Hæc audax iste sanctorum patrum censor.

Qui & Luthero suo, uelut Logodædalus, in doctiss. uirum ERASMVM Roterodamum de seruo arbitrio scribenti conscius erat, dum ille, isto forsitan dictante, sic scriberet. Quos igitur Origenes, quos Hieronymos Diatribe nobis, oblita pacti, obijcat? Cum inter Ecclesiasticos scriptores nulli fere sint, qui ineptius & absurdius diuinas literas tractarint quàm Origenes & Hieronymus.

At uerba S. Hieronymi, quæ Euangelio maxime contraria facit Philippus, sic habent. Forsitan ignoscet Deus &c. Cum beatus (inquit) Daniel, præscius futurorum, de sententia Dei dubitet, rem temerariam faciunt, qui audacter peccatoribus indulgentiam pollicentur. Cui sane dicto haud multum dissimile est, quod ait B. Cyprianus in sermone de lapsis. Homo Deo non potest esse maior, nec remittere aut donare indulgentia sua seruus potest, quod in Dominum delicto grauiore commissum est. Et infra. Noxia & uenenata persuasio persecutione ipsa peius interficit. Illic superest pœnitentia, quæ satisfaciat. Qui autem pœnitentiam criminis tollunt, satisfactionis uiam claudunt. Ita fit, ut dum temeritate quorundam uel promittitur salus falsa uel creditur, spes ueræ salutis adimatur. Hæc disertissimus Martyr ille, Cui profecto longe securius creditur quàm Luthero, qui mox omnium peccatorum ueniam promittit ei peccatori, cui fides redeat aut stet in promissionem diuinam baptizato factam, Et quàm huic Philippo dicenti. Sicut Euangelio sola fides iustitia est, ut scilicet si omnia omnium peccata feceris, tamen credis misereri tui patrem propter Christum, saluus sis. Ita econtra, Euangelio sola incredulitas peccatum est. Item. Non possunt sperare aut fide consistere, quorum corda de uoluntate Dei erga se incerta sunt. Non est Christiana uita, ubi cor tali certa cognitione Dei & fide uacua est &c. In hanc sententiam & hic in Apologia sua permulta effundit uerba. Propterea dicit à B. Hieronymo præter rem additam esse hanc dubitatiuam particulam, forsitan. Quia non dubium, sed certum & indubitatiuum uult esse, quod ignoscet Deus omnia peccata ei, qui credit propter Christum sibi placatum esse patrem, qualiacunque sint opera, etiam si omnia peccata fecerit.

Luth. in Cap. Babylo.

Phil. in Annot. in Ioh. c. 16.

Contra has Philippi & Lutheri eius insanias falsas, & impias in Deum (iustum iudicem) præsumptiones, posset profecto S. Hieronymus infinita scripturæ testimonia pro sua sententia in medium producere, si adesset, Nos breuitatis gratia & maximarum M. T. occupationum habita ratione, paucos scripturæ locos citabimus, quibus &

Danielis textus & Hieronymi expositio ab huius Rhetoris calumnia
Iob. 9. defensetur. Ait sane Iob. Vere scio quod ita sit, & quod non iustifice-
tur homo compositus Deo. Si uenerit ad me, non uideo eum: si abie-
rit, non intelligam. Qui etiam si habuero quippiam iustum, non re-
spondebo, sed meum iudicem deprecabor. Et cum innocentem me
Psal. 142. exaudierit, non credo quod audierit uocem meam. Et Dauid. Ne in-
tres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu
Eccls. 9. tuo omnis uiuens. Et Salomon. Sunt iusti atque sapientes, & opera eo-
rum in manu Dei, & tamē nescit homo, utrum amore an odio dignus
Esa. 40. sit, sed omnia in futurum seruantur incerta. Et Esaias. Quis consilia-
rius eius fuit, & ostendit illi? Cum quo iniijt consilium & instruxit eum,
Iohel. 2. & docuit eum semitam iustitiæ? Et Iohel. Conuertimini ad Domi-
num Deum uestrum, quia benignus & misericors est, patiens & mul-
tæ misericordiæ, & præstabilis super malicia. Quis scit, si conuertatur
Ionæ. 3. & ignoscat, & relinquat post se benedictionem? Et Ionas. Operiantur
saccis homines & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine, &
conuertatur uir à uia sua mala, & ab iniquitate quæ est in manibus eo-
rum. Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus, & reuertatur à furore
Matth. 24. iræ suæ, & non peribimus? Et Dominus in Euangelio. Vigilate, quia
nescitis qua hora Dominus uester uenturus sit. Si autem dixerit ma-
lus seruus in corde suo, moram faciet dominus meus uenire, ueniet
dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & di-
uidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis, ibi erit fletus & stri-
Rom. 11. dor dentium. Et Paulus ad Romanos. Tu autem fide sta, noli altum
1. Cor. 4. sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte
nec tibi parcat. Et ad Corinthios. Sed neque meipsum iudico. Nihil
enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Qui autem
iudicat me, Dominus est.

44 His & quàmplurimis id genus alijs scripturæ locis longe tutius creditur quàm infido huic certificatori, qui Dei iudicium sibi superbe per fictitiam fidem arrogat, ut certo sciat, utrum amore an odio dignus sit. Iob ait Si uenerit ad me, non uideo eum. Philippus dicit, Ego uideo quia per fidem meam solam ad me uenit. Dauid ait, Ne intres in iudicium cum seruo tuo. Iste dicit. Intra in iudicium, quia certus sum te mihi placatum esse propter Christum. Esaias ait. Cui consiliū suum ostendit? Iste dicit. Ostendit mihi per fidem meam solam. Iohel & Ionas dicunt, Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus. Iste dicit, Ego scio certissime per fidem meam solam. Christus ait. Vigilate, quia

nescitis

neſcitis qua hora Dominus ueſter uenturus ſit. Iſte ait. Qualiacunq;
ſint opera mea, ueniente Domino ſola fides iuſtificabit me. Paulus
deniq; ait. Noli altum ſapere ſed time, ne forte Deus tibi non parcat.
Iſte uero ait. Quid timeam, quia certus ſum per fidem meam ſolam,
Deum propter Chriſtum parcere mihi.

Nos certe Chriſto nihil detrahimus, ſed credimus firmiſsime, per 45
eum donari nobis remiſsionem peccatorum, & per nullum alium, ſed
ita, ſi nos fecerimus quæ illo digna ſunt & quæ iuſsit. Non enim per
peccata ſed per opera pœnitentiæ promerebimur Chriſtum ut pro no-
bis apud patrem interpellet. Maxime igitur derogat Chriſto & Euan-
gelio eius Philippus, dum ait. Euangelio ſola fides iuſtitia eſt, ſi omnia
omnium peccata feceris, ſola fides te iuſtificabit, ſi credas, patrem mi-
ſereri tui propter Chriſtum, quaſi Chriſtus ſit adeo iniquus, ut nullum
faciat diſcrimen inter bonos & malos, & adeo cæcus, ut nullum ha-
beat operum reſpectum, cum tamen ipſe met dicat, ſe unicuiq; reddi-
turum eſſe ſecundum opera eius Matth. xvj. Inter Chriſtianos certe
nulla eſt meretrix adeo deplorata, quæ non credat, propter Chriſtum
ei parcendum eſſe ſi unquam peccatis eius parcendum ſit, neq; tamen
ulla præſumit, ut Philippus, mox ſola fide iuſtificari, ſed quærit prius
per opera pœnitentiæ, per preces & lachrymas ſua peccata deplange-
re & de peccatis dolere, ut miſericordiam & iuſtificationem, non per
iuſtitiam operum ſuorum, ſed per meritum paſsionis & mortis Chriſti
& per uiuificum pœnitentiæ ſacramentum conſequitur.

Certiſsima quidem eſt Euangelij promiſsio ſecundum ſe, ſed in- 46
certum nobis eſt ſingulis, an ea promiſsione digni ſimus, propterea
oramus ad B. Virginem & ad alios ſanctos, ut interceſsionibus eo-
rum digni efficiamur promiſsionibus Chriſti. In peccatis autem exi-
ſtentes, nos ipſos reddimus indignos, quia nō facimus fructus dignos
pœnitentiæ Matth. iij. Verendum eſt igitur nobis, ne paterfamilias
Rex ille cœleſtis malis noſtris offenſus, dicat. Nuptiæ quidem paratæ
ſunt, ſed qui inuitati erant, non fuerunt digni, Matth. xxij. Præſum-
ptores uero iſti, qui ſine pœnitentiæ operibus, ad promiſsiones indi-
gne accurrunt, merito timere deberent ſeuerum illud uerbum Regis,
Amice quomodo huc intraſti, non habens ueſtem nuptialem? Et il-
lud Lucæ. xiiij. Da honoratiori locum & cum rubore deſcende in no-
uiſsimum locum. Longe igitur & melius & tutius accedent, qui per
opera pœnitentiæ in ſe reuerſi, dicant. Pater peccaui in cœlum & co-
ram te, & iam non ſum dignus uocari filius tuus, fac me ſicut unum

de mercenarijs tuis Luc.xv. Quàm superbi præsumptores isti, qui cum fatuis uirginibus uolũt uacuis lampadibus ad spõsum intrare Mat.25. Rectius igitur & salubrius hoc in loco relinquimus & abijcimus Philippi huius nouelli Theologi, imberbis pene iuuenis, quàm S. Hieronymi barbati & bene masculi (quem omnes tremebãt hæretici) Theologiæ Doctoris sententiam. Quandoquidẽ Hieronymus multo plures annos impendit sacræ Theologiæ studio, quàm totius uitæ suæ annos habet iste Philippus. Quamuis uero molestissimum sit, Auguste, tam prolixas uerbosi hominis nugas, quæ neq; ordinem neq; pudorem seruant, retexere ac diligentius excutere, adeo ut iamdudum uerear, ne M. T. nimis prolixa uideatur hæc nostra de sola fide, hoc est de re futili & inani, immo (si Paulo & Iacobo Christi Apostolis creditur) nihili & mortua, disceptatio. Improba tamen superbientis & calumniantis Rhetoris iactantia cogit me, saltem paucis breuiter ostendere (si modo breuitatem ullam uerbosa eius prolixitas admittit) quàm dextro usus Apollione responderit ad scripturas de dilectione à nobis adductas.

47 In medio itaq; uerbositatis suæ sic ait. Nunc igitur respondebimus ad illos locos, quos citant aduersarij, ut probent nos dilectione & operibus iustificari. Ex Corinthijs citant. Si omnem fidem habeam &c. Facilis (inquit) est responsio. Hic locus Pauli requirit dilectionem, hanc requirimus & nos &c. Hic primum attendat, obsecro, M. T. Imperator, quàm pulchrum iste seruet ordinem in respondendo, dum primo loco respondet ad eam Pauli sententiam, quam nos ultimo pene loco in confutatione posueramus, sed leue & consuetum peccatum sit, confuse loqui uerbosos. Deinde uide quàm facilis sit responsio. Hic locus Pauli requirit dilectionem, hanc requirimus & nos, inquit. Ita ne requiritis Lutherani? si uere eam requiritis, cur excluditis eam sola fide? Quid enim aliud excluditis sola fide quàm dilectionem & bona opera? Supra enim dixistis (licet falso & mendaciter) Non excludimus uerbum aut sacramenta, ut calumniantur aduersarij.

48 At dixeritis, Non sic excludimus, ne sequantur, sed fiducia meriti dilectionis aut operum in iustificatione excluditur. O bona solutio. Primum, si non excluditis à iustificatione sacramenta, cur Lutherus uester, gratiam sacramentorum negans, conatur illud sacrilegium suum probare hoc dicto, Iustus ex fide uiuit? Deinde, quid excluditis fiduciam meriti quam nemo nostrum docet? Non enim possumus mereri sine gratia Dei, at ante iustificationem nostri, gratiã De non

Luth. in assertione art. I.

habemus,

habemus, nihil igitur meremur nisi iam iustificati, uti supra quoque dictum est. Tertio, cur dilectionem fide posteriorem facitis, quum Augustinus & omnes Theologi affirment, hæc dona, fidem, spem & dilectionem simul cum gratia a Deo in iustificatione per spiritum sanctum infundi: Si Christum ipsum in baptismo induimus Gal. iij. nunquid sine charitate induimus eum? Si in spiritu sancto baptizamur & igne Matth. iij. Nonne per spiritum sanctum diffusa est charitas in cordibus nostris Rom. v? Si Deus proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit, Rom. viij? Quarto, Non requiritis dilectionem sicut Paulus. Hic enim requirit eam ad iustificationem, uos ad sequelam duntaxat. Paulus sine dilectione nihil est, etiam si omnem fidem habeat, Vos estis aliquid, immo iustificati esse uultis, sine dilectione, sola fide. Non est igitur tam facile uobis, hic recte respondere, quàm putatis, quia & mendacij & contradictionis compedibus constricti estis.

Addit ulterius Philippus. Diximus enim supra, oportere existere in nobis renouationem & inchoatam legis impletionem, iuxta illud. Dabo legem meam in corda eorum.

At dicite nobis uiri renouati, quando & per quid & à quo renouati estis? Nonne in baptismo per spiritum sanctum, quem à Deo uirtute sacramenti quo Christus baptizat accepistis? Vbi uero legistis, per spiritum sanctum dari solam fidem? Cæterum posteaquàm per peccata iterum inueterati estis, quomodo renouamini? Nunquid sola fide? At pessima etiam scorta, quæ sine bono proposito in peccatis suis computrescunt, uelut iumenta in stercore suo, ut ait Propheta, *Iohel. I.* habent solam fidem, qua credunt in Ihesum Christum dominum nostrum, in quo & baptizata fuerant, sicut nos, & tamen nemo dicit (nisi uos dixeritis) eiusmodi scorta, quæ non pœnitent, iustificari ea fide, quam proprie & uere solam habent, utpote sine gratia & charitate ac sine omni uirtute & opere bono. Quid ergo prodest illis ad iustificationem sola fides? Ait amplius. Si quis dilectionem obiecerit, etiam *Simul datur fides et dilectio.* si habet magnam fidem, tamen non retinet eam. Non enim retinet spiritum sanctum. Quomodo uero abijciat quis dilectionem, quam nondum habet, quam non simul cum fide infundi, sed sequi iustificationem dicitis? si non retinetur neque fides neque spiritus sanctus sine dilectione, cur eam pessime separatis? cur sequi potius quàm simul dari dicitis? Dicite quæso nobis, num impio, quem Deus iustificat, ante iustificationem inest fides uestra iustificans? si prius inest, ergo per

eam iuſtificatur antequàm iuſtificetur à Deo. Ergo & ſpiritum ſanctum habet antequam iuſticetur à Deo. Si uero fides illa iuſtificationem non præcedat, ſed ſequatur, quid contenditis inaniter, quod dilectionem præcedat? Rectius ergo docet Eccleſia, ſimul dari fidem & dilectionem,

50 Rurſum ait. Neq; uero hoc loco tradit Paulus modum iuſtificationis, ſed ſcribit his qui cum fuiſſent iuſtificati, cohortandi erant, ut bonos fructus ferrent, ne amitterent ſpiritum ſanctum. Vide obſecro religioſe Imperator, quàm ſecure ſomniet nugator iſte ad M. T. perinde ac ſi neminem habeas uirum eruditum, qui uaniſsima eius ſomnia confutare poſsit uel auſit. Primum, ait, Paulum non tradere hoc loco iuſtificationis modum. At contra ait hic S. Ambroſius in explanatione. Gradatim (inquit) illos ad ulteriora prouehit, oſtendens illis gratiam ſupradicti omnis doni, quæ in hominibus uidentur, ſiue loquendi aut curandi aut prophetandi, non ad meritum hominis pertinere, ſed ad honorificentiam Dei. Ideoq; nunc uiam ſe dicit illis oſtendere planiorem qua itur ad cœlũ, quæ meritum collocat apud Deum. Hæc Ambroſius. Nunquid uero ſine iuſtificatione itur ad cœlum? nunquid iniuſti meritum collocant apud Deum? Deinde ſomniat ſomniator iſte Paulum, non iuſtificandis, ſed iuſtificatis ibi ſcripſiſſe. Fuerant quidem iuſtificati baptiſmo, facti quaſi modogeniti infantes, j. Pet. ij. Sed eam innocentiam iterum peccando perdiderant ex eis quàmplurimi, qui iudicium ſibi manducauerant. j. Cor. xj. Qui ſic inflati erant, tanquam Paulus ad ipſos uenturus non eſſet, ad quos in uirga uenire minabatur, & unum ex eis tradidit Satanæ in interitum carnis, reliquos uero expurgare iuſſit uetus fermentum, ut eſſent noua conſperſio. Quid, quod aliqui ne fidem quidem rectam habebant, dubitantes de reſurrectione mortuorum, à quibus præcauere alios iubebat. Nolite (inquit) ſeduci, Corrumpunt mores bonos colloquia mala, Euigilate iuſti, & nolite peccare. Ignorantiam enim Dei quidam habent, ad reuerentiam uobis loquor &c. Nunquid uero tales erant iuſti, quos moneret, ne amitterent ſpiritum ſanctum, quem peccatis commiſsis iampridem amiſerant? Vana ſunt igitur hæc ſomnia.

Ambro. in Cōmen. 1. Cor. 12. in fine.

Corinthij peccatores erant, licet baptizati.

51 Addit præterea dicens. Ac præpoſtere faciunt aduerſarij, hunc unum locum citant, in quo Paulus docet de fructibus, alios locos plurimos omittunt, in quibus ordine diſputat de modo iuſtificationis. Hoc, Cęſar, uaniloquium ſtatim deprehendet, quiſquis reſponſionem noſtram uel per tranſennam inſpexerit, ubi non citauimus hunc unum

locum

locum, ut iste ait, sed præter eum adhuc alios multos ex Paulo, hunc uero in nouissimis.

Scribit quidem Paulus ad Romanos & ad Galatas de modo iustificationis, sed nequaquam erroneo isto sensu, quem Lutherani habent, qui nugaci contentione omnia confundentes, ubicunq; Paulus de lege ueteri loquitur, ipsi nouam quoq; legem admiscent & confundunt, dicta Pauli de operibus legis rapientes ad impium istum sensum, quod homo non iustificetur operibus legis neq; ueteris neq; nouæ. Et in hanc erroris confusionem rapuit supra Philippus illud quoq; Hierc. xxxj. Dabo legem meam in corda eorum. Constat autem omnium Expositorum testimonio, Paulum in utraq; Epistola disputare contra æmulatores legis Mosaicæ, iudaizantes, qui contendebant hominem sine operibus legis illius saluari non posse Act. xv. Paulus uero contra contendit hominem iustificari fide in Christum, non sola quidem fide, ut Lutherani contendunt, sed fide per dilectionem operante, Gal. v. 52 *Confusio Lutherica de operibus legis ueteris & nouæ.*

53 Non igitur sola fides, nec sola dilectio iustificat, nec item sola opera, sed hæc tria simul coniuncta, fides, dilectio & opera hominem Deo reconciliant & acceptum faciunt, ut per gratiam & uirtutem sacramentorum à Deo iustificetur. Non tamen sine Christo aut sine spiritu sancto id fieri dicimus, ut calumniatur Philippus, sed per utrunq;. Christus enim est omnia in omnibus Coloss. iij. & spritus sanctus in remissionem peccatorum datus est Ioh. xx. per quem & charitas diffunditur in cordibus nostris Rom. v. Cuius fructus fides quoq; simul cum charitate alijsq; uirtutibus multis (quas Paulus commemorat) existit Gal. v.

54 Iam uides, opinor, Auguste, quàm molesta & improba sit linguosi huius Rhetoris uerbositas. Ecce nondum commemoraui quartam partem responsionis eius ad unam Pauli sententiam à nobis breuissime ac simplicissime adductam, & uereor iam, ne aures pietatis tuæ iamdudum ista contentione sint ad tædium usq; defatigatæ. Quid faciam igitur? si non ad omnia eius uerba (quæ incessabili loquacitatis profluuio fundit & inundat) respondero, canet mox Encomium uictor ac triumphator mei: sin uero respondero, non poterit omnia sine tædio M. T. audire, etiam si nullæ aliæ ei forent (licet arduissimæ & maximæ semper præ foribus existant) occupationes. Sed neq; tam stultus sum, ut criminationes aut glorias eius pluris faciam quàm consyderationem seruandi ad M. T. decori, neq; tam gloriosus aut

 ambitiosus,

ambitiosus, ut simili prolixitate, ne illi cedere uidear, aures religiosas M. T. inaniter obtundam. Si Logodædalus in uerborum pugna uictor esse cupit, per me semper erit, ne cum uerboso uerbis contendere nitar. Cæterum si de ueritate contendat, nobis una hæc B. Iacobi ueritas (fides sine operibus mortua est) aut ista Pauli certa & irrefragabilis sententia (si omnem habuero fidem absque charitate, nihil sum) sufficit ad conuincendam falsitatem Lutherani huius articuli, sola fides iustificat. Quid opus est igitur ad reliquas uerbiflui huius Rhetoris nugas, quæ maxima ex parte impudentes & amarulentæ sunt calumniæ, operosius respondere.

Iac. 2. *1. Cor. 13.*

55 Quando enim unquam probabit, nos à iustificatione excludere Christum, aut abolere Euangelium? Ipse uero longe iustius, quàm nos, posset harum impietatum & accusari & redargui. Si enim sola fides iustificat, scient omnes Dialectici, Christum à iustificatione excludi, quia Christus non est fides, & abolendum erit Euangelium, quod nouum præbet de dilectione mandatum, Iohan. xiij. & iubet seruare mandata, ut liceat ingredi in uitam æternam, Matth. xix. Magis igitur operæprecium, & ex re pietatis fuerit, hac de quæstione, Num sola fides iustificet, consulere scripturas & sanctos patres, quàm uerbosius cum uerboso nugis tædiosis contendere. Scripturas profecto haud ita paucas supra produximus, sed & hic breuiter aliquot recitandas producimus, easque ex nouo duntaxat testamento, ne forte lubricus iste aduersarius noster dicat, quæ ex ueteri testamento proferuntur, respicere opera legis Mosaicæ, aut etiam legis philosophicæ aut legis in communi, non legis Euangelicæ, cuius iustitiam dicit esse solam fidem. Recita.

Sola fide excluditur Christus & Euangelium.

56 SCRIBA. Scripturæ noui Testamenti contra solam fidem.

Matth. 4. I Exinde cœpit Ihesus prædicare & dicere. Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Hoc est initium Euangelij, cui & finis Matth. xxviij. apte respondet, Docete eos seruare omnia quæcunque mandaui uobis.

Matth. 5. II Beati misericordes, quoniã ipsi misericordiam consequentur.

III Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona &c.

IIII Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus uocabitur in regno cœlorum.

V Dico autem uobis, quia nisi abundauerit iustitia uestra plus quàm scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

Attendite

VI Attendite, ne iustitiam uestram faciatis coram hominibus, ut uideamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud patrem uestrum qui in cœlis est. Matth. 6.

VII Te autem faciente elemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextra tua, ut sit elemosyna tua in abscondito, & pater tuus, qui uidet in abscondito, reddet tibi.

VIII Tu autem, cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito, & pater tuus, qui uidet in abscondito, reddet tibi.

IX Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & uobis pater uester cœlestis delicta uestra: Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater uester dimittet uobis peccata uestra.

X Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam laua, ne uidearis hominibus ieiunans, sed patri tuo qui est in abscondito, & pater tuus, qui uidet in abscondito, reddet tibi.

XI Thesaurizate autem uobis thesauros in cœlo, ubi nec erugo nec tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt nec furantur.

XII Quærite ergo primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis.

XIII In qua mensura mensi fueritis, remetietur uobis.

XIIII Petite & dabitur uobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur uobis. Matth. 7.

XV Quanto magis pater uester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se?

XVI Omnia ergo quæcunq; uultis ut faciant uobis homines, & uos facite illis. Hæc est enim lex & Prophetæ.

XVII Quàm angusta porta & arcta uia est quæ ducit ad uitam, & pauci sunt qui inueniunt eam.

XVIII Sic omnis arbor bona fructus bonos facit. Mala autem arbor malos fructus facit.

XIX Non potest autem arbor bona malos fructus facere.

XX Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.

Ecce tibi, Princeps, bonorum operum studiose & antiqua pietate uere Euangelice, XX locos ex uno Euangelij sermone, nec anxie conquisitos, nec uiolenter in alienum sensum detortos, nec rhetoricis fucis errori ulli seruire coactos, sed simplicissime, ut iacent, recitatos, quibus non ad solam fidem, sed ad opera pietatis ab ipsomet pientis-

simo

ſimo ſaluatore noſtro exhortamur, mercedíſq; certa promiſsione inuitamur, atq; etiam ſeueriſsimis comminationibus, quas breuitatis gratia omitto, & ad bona agenda, & ad mala præcauenda excitamur. Quod ſi contra per Antitheſim quandam recitentur noua Lutheri & Philippi eius de bonis operibus dogmata, nemo Catholicorum tam cæcus eſt, qui non ſtatim uidere queat, eos non Euangeliſtas, ſed longe uerius Antichriſtos dicendos eſſe. De quibus ait S. Iohannes in
1.Ioh. 2. Canonica ſua ad Parthos. Nunc Antichriſti multi facti ſunt. Quod ut mihi credas, Imperator, aliquot eorum dogmata breuiter pronuncianda exhibeo.

Recita.

57 SCRIBA. Errores Lutheri de bonis operibus.

Luth. in aſſertione art. 31.

I In omni opere bono iuſtus peccat.

II Hunc autem articulum ego in Galatis meis, deinde in reſolutionibus, atq; aduerſus doctrinales damnatores & incendiarios Louanienſes, tam copioſe declaraui, ut in aduerſarijs incredulis nihil aliud uideam, quàm aures aſpidis ſurdæ & obturantis auditum ſuum.

III Quid ergo meum articulum damnant? damnent illud Eſaiæ lxiiij. Et facti ſumus immundi omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ uniuerſæ iuſtitiæ noſtræ.

IIII Et illud Eccle. vij. Non eſt homo iuſtus in terra, qui faciat bonum & non peccet.

V Si ergo omnis perſona ſimul peccatrix eſt dum iuſta eſt, quid euidentius ſequi poteſt quàm ut opus quoq; partim ſit bonum, partim malum?

VI Forte dicent & admittent, iuſtum in opere bono deficere quidem, ſed non peccare. Verum ſuperius abunde probaui, hunc defectum eſſe uere peccatum.

VII Si enim ſic elabi uolunt per nomen defectus, ne peccatum admittere cogantur, elabar & ego, & dicam, adulterium non eſſe peccatum ſed defectum.

VIII Qua enim ratione illud carnis concupiſcere contra ſpiritum, non eſt peccatum, eadem & adulterari non erit peccatum.

IX Quid ex ea doctrina capit auditor, quàm ſe poſt acceptam gratiam mundum eſſe, & iam gratia ad peccati ulterioris purgationem non egere. Id quod proprijſsime Pelagianum eſt, ſub uerbis Catholicis propoſitum.

X Opus bonum optime factum est ueniale peccatum. *Ib. art. 32.*

XI Dixi alibi copiosius, hoc ueniale peccatum, non natura sua, sed misericordia Dei tale esse.

XII Non iustificari certe est damnari. Ita omne opus iusti damnabile est & peccatum mortale, si iudicio Dei iudicetur.

XIII Iam audistis, quod homo ante omnia, priusquàm ipse aliquid boni faciat, iustus esse debet, licet in Luca ubiq; resonet, quod ueniat iustitia per opera. Sicut audistis, remittite & remittetur uobis. *Luth. in sermone de pharisæo & publicano.*

XIIII Si publicanum secundum opera iudicem, mox falsum est, quia nihil prorsus in eo apparet nisi peccatum.

XV Si pharisæum quoq; hic secundum opera iudicem, itidem falsum est, quia stat in loco sancto, & facit optimam, quæ esse potest, orationem.

XVI S. Lucas urget uehementius super externa opera & ad speciem quàm super fidem, & sonat multo plus super externam uitam & conuersationem quàm super Euangelium & fidem intrinsecus.

XVII Nunc ruit Deus huc, & ait, quod omnia istius Pharisæi opera sint in Deum blasphemiæ, Deus bone, quale est hoc iudicium.

XVIII Hic poterunt Moniales & presbyteri trepidare usq; ad medullam interiorem, quorum nullus ne dimidia quidem parte tam probus est quàm ille fuit.

XIX Vtinam haberemus nunc eiusmodi pharisæos multos.

XX Nihil est igitur de manifestis peccatis, sed incredulitas, quæ in corde est, quam non uidemus, hæc est uerũ peccatum. In quo monachi & presbyteri incedunt, perditum & corruptum pecus, quod hæret in peccato usq; ad aures. Hæc Lutherus.

Sic & Philippus iste magistro quondam, nunc clienti suo, quem defendit, ut ubiq; astipuletur, tales plærunq; in bona opera sententias profert. Regnum (inquit) Christi est iustificare spiritu & saluare credentes, nullo uel bonorum uel malorum operũ respectu. Item, Euangelium prædicat iustitiam fidei, non operum, cõdemnat omnia opera humana. Item, Lex cũ Euangelio pugnare uidetur, ut uideri non possit, utrunq; esse uerbum Dei. Item. Noua doctrina est, fide iustificari, nullo bonorũ aut malorum operũ respectu. Item, Hoc est, in quo spes omnis Christianæ mentis sita est, quod Euangelio, non lege iudicamur, id est, quod fidei & incredulitatis, nõ operum respectus est. Item, Impij uero intelligunt regnum Christi esse, honestam quandã ciuilem 58 *Phil. in Anno. in Ioh. c. 12.*

adminiſtrationem & iuſtitias operum, ubi iuſti ſint qui bene operantur. Sic non modo ſentiebant (inquit) olim Iudæi, ſed & nunc ſentiunt noſtri Iudæi, hoc eſt, doctores iuſtitiæ carnis. Hæc & id genus multa paſsim in diuerſis opuſculis ſuis Philippus, plurima certe in locis communibus, quæ longum eſſet referre, & bona pars recitata eſt ſupra.

59 Nunc igitur expendat mihi Pietas tua, Cæſar, num iſta ſint Chriſtiana an potius Antichriſtiana dogmata, Chriſtus Euangelium ab operibus pœnitentiæ incipit, & in bona opera mandatorum ſuorum deſinit. Iſti uero Antichriſti, ſolam ubiq; fidem prædicant, bona uero opera reputant in peccata. Chriſtus ait. Qui fecerit & docuerit, magnus uocabitur in regno cœlorum. Iſti uero. Omne opus iuſti damnabile eſt & peccatum mortale, ſi iudicio Dei iudicetur. Chriſtus. Non poteſt arbor bona fructus malos facere. Iſti. In omni opere bono iuſtus peccat. Chriſtus. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur. Iſti. Euangelium prædicat iuſtitiam fidei, non operum, Et tanquam contraria ſibi inuicem ſint, fides & bona opera, conqueruntur iſti ubiq;, doctrinis operum obſcurari doctrinam fidei. Et Philippus audaciſsime, uelut manifeſtus Antichriſtus, contra Chriſti ſententiam, ita pronunciat, Neminem neq; bona opera ſaluant, neq; damnant mala, ſed ſaluat fides, damnat incredulitas. Chriſtus uero ſic Ioh. v. Et procedent qui bona fecerunt, in reſurrectionem uitæ, qui uero mala egerunt, in reſurrectionem iudicij. Et Philippus ipſe alibi ſic ait. Dices, Ergo opera ſaluant, non fides. Reſpondeo, recte, Nam fides iuſtificat, non ſaluat. Saluat autem tum, ut cum fructificat. Ecce gemina contrarietas in tam paucis uerbis. Prior, Opera neminem ſaluant, & Opera ſaluant. Poſterior. Saluat fides, & Non ſaluat fides, ſed iuſtificat.

Phil. in Anno. in Ioh. c. 4.

In Annotatio. 2. Cor. 9.

60 Sed in hac contradictione perpetuo laborant, quod aiunt fidem ſolam ſine operibus iuſtificare, & interim nihilominus affirmant, fidem ſine operibus nunquam eſſe ſolam. Quomodo igitur ſine operibus iuſtificat? In Chriſtum deniq; per hanc uæſaniam maxime ſunt blaſphemi, dum dicunt, Iuſtum in omni opere bono peccare, & opus eius optime etiam factum eſſe peccatum, ueniale quidem ſecundum miſericordiam Dei, mortale uero & damnabile ſecundum iudicium Dei.

61 Hinc enim ſequeretur, quod Chriſtus peccaret, & iuſti peccatum recideret in Chriſtum. Ipſe nanq; operatur omnia in omnibus. j. Cor. xij. Et eſt omnia in omnibus Coloſſ. iij. Vnde Paulus ait, ij. Corin. xiij.

An experi

An experimentum quęritis eius qui in me loquitur Christus? Et Christus ipse. Non enim uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri loquitur in uobis Matth.x.

Hi sunt fructus, Imperator, & hæc lucra nouæ de sola fide doctrinæ, qua Deum in sanctis bona operantem blasphemant, uelut peccatorem. Qua Christi sententiam nouissimumq; iudicium Iohan.v. & Matth.xxv. in quo reddet unicuiq; secundum opera eius, retractant. Qua spiritum sanctum in iustis loquentem & operantem arguunt de peccato. Qua Dei genitrici & sancto Petro, atq; adeo omnibus sanctis sua bonorum operum merita detrahunt. Dicunt enim, sumus æque sancti atq; est mater Dei, æque tanti quanta est ipsa, si maiorem habet gratiam, hoc non est ex eius meritis, sed ex Dei misericordia. Qua defunctis uiuentium pia opera inutilia pronunciant. Dicunt enim merum esse diaboli præstigium, dum nonnulli spiritus petunt sibi opem ferri, orationibus, missis, peregrinationibus alijsue operibus, apparentes postea cum claritate & dicunt se redemptos. Qua deniq; uiuos & religiosam plebem à bonis operibus dehortantur & retrahunt, quemadmodum quotidiano experimento uidemus populos Germaniæ operum antiquæ pietatis indies negligentiores fieri. Dicunt enim, fides res breuis est, ad quam nec mandata nec opera pertinent, immo rescindit omnia mandata & opera, implet omnia mandata & opera, ideo fluit ex ea omnis iustitia. Adeo enim perfecta est fides, ut absq; omni alio mandato & opere, omne quod homo facit, Deo gratum sit & acceptum. Caueamus igitur à peccatis, multo uero magis à mandatis & à bonis operibus. Hæc Lutherus Teuthonice, in forma, de uerbo ad uerbum. 62

Fructus amarissimi nouæ de sola fide doctrinæ.

Luth. in Ser. de natiuitate Mariæ.

Luth. in Ser. de diuite & Lazaro.

Luth. in Ser. de nouo testa.

De huiusmodi tamen, quàmlibet barbaris, absurdis & scandalosis impietatibus audet Philippus iste & illum ad M. T. excusare, & nos tanquam calumniatores accusare, calumniator ipse malignissimus, atq; ut mendacijs suis fidem rhetorica persuasione pariat, multa ex ijs, quæ commemorauimus & impugnauimus, ipsemet tandem post longum contentionis funem retractat, non quidem ex animo & uere pœnitens, uti suspicari immo certo conijcere licet, sed ut M. T. simulando pietatem, circumueniat, & nos calumniatores esse demonstret. Ait enim. Ex his iudicare candidus lector potest, nos maxime requirere bona opera, siquidem hanc fidem docemus in pœnitentia existere, & debere subinde crescere in pœnitentia. Et in his rebus perfectionem Christianam & spiritualem ponimus, si simul crescant pœ- 63

nitentia & fides in pœnitentia &c. Si hæc uere & ex animo sentit, Auguste, dicat nobis quæso, cur de sola fide tam conuitiose nobiscum contendit. Si fides in pœnitentia existit, ergo non existit sola, quia adiunctam habet sibi pœnitentiam. Et si in his rebus perfectio Christiana ponitur, ergo non debet poni in sola fide, quia hæ res non sunt sola fides, quandoquidem ipsemet ait, si simul crescant pœnitentia & fides in pœnitentia. Ecce nunc ait simul, igitur frustra & inique contendit de sola fide. Simul enim & sola, contraria sunt.

64 *Quod opera merentur à deo premia*

Deinde subiungit. Sicut autem iustificatio ad fidem pertinet, ita pertinet ad fidem uita æterna. Postea opera, quia placent Deo propter fidem, merentur alia præmia corporalia & spiritualia. Erunt enim discrimina gloriæ sanctorum. Nos Imperator de fide non contendimus (uti sæpe dictum est) sed de sola fide. Tollant à fide Philippus & Lutherus hanc uocem Sola, & remittant eam (si libet) ad sutores, & mox cessabit contentio. Nos enim non impugnamus fidem, sine qua Deo placere impossibile est Heb. xj. sed asserimus dilectionem & bona opera contra solam fidem, quia requirimus fidem quæ per dilectionem operatur Gal. v. Si ergo opera (ut hic ait) merentur præmia corporalia & spiritualia, corrigant isti priores articulos iam olim damnatos, quod iustus in omni opere bono peccet. Et quod opus bonum optime factum sit peccatum. Quid enim præmij debetur peccato? Iustis certe bona dat Deus præmia, peccato autem non debetur nisi malum præmium, hoc est pœna. Nam præmium proprie pro benefactis, pœna pro malefactis datur.

65 *Vbi merces, ibi & merita.*

Ait rursum. Nos non rixamur de uocabulo mercedis, de hac re litigamus, utrum bona opera per se sint digna gratia & uita æterna, an uero placeant tantũ propter fidem quæ apprehendit mediatorem Christum. Hic ita responderim. Primum, si bonis operibus mercedem ex animo concedit, merita quoq; concedat oportet, merces enim bene merentibus datur. Deinde, Nemo nostrum dicit, bona opera per se digna esse gratia & uita æterna, nec meritoria quidem per sese, sed per gratiam fidemq; & charitatem, atq; adeo per Christum & spiritum sanctum, quorum uirtute à nobis fiunt. Tertio, Quando quærit, an opera nostra placeant tantum propter fidem, Ego de Tantum idem respondeo quod de sola fide, quia non tantum propter fidem nec propter solam fidem, sed etiam propter gratiam, propter charitatem & spem & propter uirtutem sacramentorum, immo propter uirtutem Christi in nobis omnia operantis, opera nostra bona Deo placent, quæ

cent, quæ certe sine gratia, spe & charitate propter fidem solam placere non possunt, sed pro nihilo habentur. j. Cor. xiij. Nec uerum est (licet sæpissime à Philippo repetitum, Christum mediatorem à nobis sola fide apprehendi, nam & charitate ac spe quoque apprehenditur, fide quidem in intellectu, charitate autem in uoluntate, similiter & spe, quæ non confundit, Rom. v. Vnde & Iob. c. xix. de uidendo in carne Deum ait. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.

Hic autem prolixam in nos calumniam insidiose adnectit, ita subiungens. Aduersarij nostri non solum hoc tribuunt operibus, quod sint digna gratia & uita æterna, sed fingunt etiam, quod merita supersint sibi, quæ donare alijs & iustificare alios queant, Vt cum Monachi suorum ordinum merita uendunt alijs &c. At falso ita cauillatur, opera enim nostra non per se, sed per gratiam Dei digna fiunt uita æterna secundum Christi promissiones. Iuxta illud Matth. xix. Magister bone quid boni faciam, ut habeam uitam æternam. Cui Dominus respondit, serua mandata. Et infra. Omnis qui reliquerit domum &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitam æternam possidebit. Hæc autem facere non possumus sine Christo Ioh. xv. quia sufficientia nostra ex Deo est. ij. Cor. iij. Non ergo fingimus, ut iste calumniatur, nobis superesse merita, quæ alijs donemus aut uendamus aliosque iustificemus. Non ita præsumimus. Neque tamen sanctorum communionem negamus, neque charitatis officia excludimus. Si enim apud Ethnicos uulgo dicebatur, Amicorum omnia esse communia, quanto magis id inter Christianos per charitatem fieri debet, quibus ad hoc datum est communionis uenerabile sacramentum. Vnde ait Apostolus. j. Corin. xvj. Omnia uestra in charitate fiant. Et Coloss. iij. Omnia & in omnibus Christus. Et Christus ipse ad patrem Ioh. xvij. Vt sint unum sicut & nos. Item. Vt omnes unum sint, sicut tu pater in me & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.

Sanctorum communio.

Deinde post grauem calumniæ ictum rursus mitescens in hypocrisi ait. Non mouemus inanem logomachiam de uocabulo mercedis. Si concedent aduersarij, quod fide propter Christum iusti reputemur, & quod bona opera propter fidem placeant Deo, de nomine mercedis postea non ualde rixabimur &c. At concedimus ista, dummodo non adijciat hanc uocem, Sola. Et sane non propter eius Apologiam, quasi illa nos cogat aut cõuincat, ista concedimus. Non enim nunc primum concedimus, sed & ante Apologiam eius ultro concessimus Augustæ, mox in principio quando ad quartum Confessionis

 articulum

66

articulum respondebamus. Vanissima igitur simul & maliciosissima, immo & impijssima est ista eius rixatio & longa per XII. quaterniones logomachia, propter unicam hanc uocem, Sola, quam temere, maliciose & impie adijcit fidei, præter atq; adeo & contra omnem scripturam, atq; ex mera superbia, ne errasse uideatur, eam defendit, cum probe intelligat, eam apponi non debere.

Cæterum ne Maiestati tuæ perpetuo molestus sim, CAROLE Auguste, hac tædiosa contentione, ad quam impulit nos peruicax huius defensoris improbitas, iucundiora quædam & certiora de iustificatione, quæ & auribus Pietatis tuæ gratiora & ad ædificationem populi Christiani aptiora magisq; utilia sint, ex duobus potissimum doctoribus B. Augustino & S. Thoma Aquinate, qui & pietate & eruditione pariter & ingenio præstantissimi habentur, recitanda propono, ut M. T. inde intelligat, & quàm inique calumnietur Apoliographus iste nos & scholasticos (quos uocat) Doctores, & quàm improbe mentiatur de B. Augustino & alijs Ecclesiæ Doctoribus, quos de sola fide sententiam Luthericam tueri falso iactitat.

Recita.

67 SCRIBA. Testimonia B. Augustini contra solam fidem.

Aug. de fide et operibus. c. 14

I Quare iam illud uideamus, quod excutiendum est à cordibus religiosis, ne mala securitate salutem suam perdant, si ad eam obtinendam sufficere solam fidem putauerint. Bene autem uiuere & bonis operibus uiam Dei tenere neglexerint.

II Nam etiam temporibus Apostolorum, non intellectis quibusdam subobscuris sententijs apostoli Pauli, hoc cum quidam arbitrati sunt dicere, Faciamus mala ut ueniant bona.

III Cum ergo dicit Apostolus arbitrari se, iustificari hominem per fidem sine operibus legis. Non hoc agit, ut percepta ac professa fide opera iustitiæ contemnantur, sed ut sciat se quisq; per fidem posse iustificari etiam si legis opera non præcesserint. Sequuntur enim iustificatum, non præcedunt iustificandum.

IIII Quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ Apostolicæ Epistolæ, Petri, Iohannis, Iacobi, Iudæ, contra eam maxime dirigunt intentionem, ut uehementer astruant, fidem sine operibus nihil prodesse.

V Sicut etiam ipse Paulus, non qualemlibet fidem qua in Deum creditur, sed eam salubrem plane dicit, quam Euangelicam definiuit, cuius opera ex dilectione procedunt. Et fides, inquit, quæ per dilectionem operatur.

Vnde

VI Vnde illam fidem, quæ sufficere ad salutem quibusdam uidetur, ita nihil prodesse asseuerat, ut dicat, Si habeam omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.

VII Vnde in secunda epistola Petrus, sciens de apostoli Pauli quibusdam subobscuris sententijs nonnullos iniquos accepisse occasionem, ut tanquam securi de salute quæ in fidem est, bene uiuere non curarent, commemorauit, quædam ad intelligendum difficillima esse in epistola eius quæ homines peruerterent, sicut & alias scripturas, ad proprium suum interitum.

VIII Iacobus autem uehementer infestus est eis, qui sapiunt fidem sine operibus ualere ad salutem, ut illos etiam dæmonibus comparet, dicens. Tu credis quoniam unus est Deus, bene facis, & dæmones credunt & contremiscunt. Quid uerius, breuius, uehementius dici potuit?

IX Dicit etiam, quia fides sine operibus mortua est. Quousque igitur falluntur, qui fide mortua sibi uitam perpetuam pollicentur?

X Illud quoque non uideo, cur Dominus dixerit. Si uis uenire ad uitam, serua mandata. & commemorauit ea quæ ad bonos mores pertinent, si etiam his non seruatis, ad uitam uenire potest per solam fidem quæ sine operibus mortua est. *Ib. c. 15.*

XI Illud deinde quomodo uerum erit, quod eis, quos ad sinistram positurus est, dicet, Ite in ignem æternum qui paratus est Diabolo & angelis eius, nec increpat quia in eum non crediderunt, sed quia bona opera non fecerunt.

XII Non enim fides illa dæmonum, cum & ipsi credant & contremiscant & filium Dei confiteantur Ihesum, potest accipi in fundamentum. Quare nisi quia non est fides quæ operatur per dilectionem, sed quæ exprimitur per timorem. Hæc ibi Augustinus. Et idem alibi, de iustificante gratia & charitate sic habet. *Ib. c. 16.*

XIII Vidi hominem (Pelagium scilicet) zelo ardentissimo accensum aduersus eos, qui cum in suis peccatis humanam uoluntatem debeant accusare, naturam potius accusantes hominum, per illam se excusare conantur. *Idem de natura & gratia. c. 1.*

XIIII Non enim iniustus Deus, qui iustos fraudet mercede iustitiæ. *Ib. c. 2.*

XV Cum ista legerem, lætitia repente perfusus sum, quod Dei gratiam non negaret, per quam solam homo iustificari potest. *Ib. c. 11.*

XVI Vt homo in peccatum iret, sufficit ei liberum arbitrium quo se *Ib. c. 23.*

ipse

ipse uitiauit. Vt autem redeat ad iustitiam, opus habet medico, quoniam sanus non est, opus habet uiuificatore, quia mortuus est.

XVII De qua gratia omnino nihil iste (Pelagius scilicet) dicit, quasi sola sua uoluntate se posit sanare, quia eum potuit sola uitiare.

XVIII Iste defendendo naturam, uelut sibi ad iustitiam sufficientem, si uoluntas sola asit: Gratiæ Christi, qua iustificamur, apertissime contradicit.

Ib. c. 48. XIX Si in Abel iusto charitas Dei, qua una uere iustus est quicunq; iustus est, adhuc erat quo posset & deberet augeri, quicquid minus erat, ex uitio erat.

Ib. c. 42. XX Neq; illud nimis curo, utrum fuerint hic aliqui, uel sint uel esse posint, qui perfectam, cui nihil addendum esset, habuerint uel habeant uel habituri sint charitatem Dei. Ipsa est enim uerissima, plenissima perfectissimaq; iustitia.

Ib. c. 63. XXI Per spiritum sanctum diffunditur charitas in cordibus nostris, qua una iusti sunt, quicunq; iusti sunt.

Ib. c. 68. XXII Si autem iam Christiani sunt, & recte uiuere negligunt, uerberentur terroribus, & præmiorum laudibus erigantur, ita sane, ut non solum ad bonas actiones, uerum etiam ad pias orationes eos exhortari meminerimus.

Ib. c. 69. XXIII Omnia quippe fiunt facilia charitati. Cui uni Christi sarcina leuis est, aut ea una est sarcina ipsa quæ leuis est.

Ib. c. fi. XXIIII Charitas ergo inchoata, inchoata iustitia est: charitas prouecta, prouecta iustitia est: Charitas magna, magna iustitia est: charitas perfecta, perfecta iustitia est.

Ecce tibi Cæsar ex Augustino XII. locos contra solam fidem, & alios XII. locos pro gratia & charitate iustificante. Quibus utiq; unusquisq;, qui in reprobum sensum datus non est, iustius credendum existimabit, quàm sophisticis & hypocriticis huius Philippi nugis, quas arte rhetorica uane contexuit, & ad probandam solam fidem & ad reprobandam dilectionem iustificantem. Vtrunq; contra scripturas, contra Euangelium, contra Paulum & cõtra Augustinum, atq; adeo contra omnes Doctores totamq; Ecclesiam Christi.

68 Nobis uero & quibuslibet religiosis mentibus contra omnes eius & uerborum fucos & argutiarum præstigias satis esse posset unus ille sermo B. Augustini de laudibus charitatis, licet breuissimus, cuius hoc est sane initium, Diuinarum scripturarum multiplicem abundantiam latissimamq;

tiam latissimamq;

tiam latissimamq; doctrinam, fratres charissimi, sine ullo errore comprehendit, & sine ullo labore custodit, cuius cor plenum est charitate, dicente Apostolo. Plenitudo autem legis est charitas. Et alio loco. Finis autem præcepti est charitas &c. Ex his profecto uerbis Apostoli probat pius & acutus Doctor iste ultimum iamiam recitatum articulum, quod charitas sit iustitia. Quid est enim finis & plenitudo legis aliud quàm iustitia. Pessime igitur negat Philippus, iustificare charitatem, perinde ac si negaret iustificare iustitiam. Hæc autem sententia nostra quàmplurimis deinde laudibus charitatis in eodem sermone, quamuis compendioso, confirmatur, dum ait. Nec dubitare ullo modo potest, quod templum Dei sit homo in quo habitat charitas. Dilige & fac quod uis, Charitas causa est & mater omnium uirtutum. Quæ si desit, frustra habentur cætera: si autem assit, habentur omnia. Omnia fiunt facilia charitate. Item. Qui ergo contra mortis uetustatem, attulit uitæ nouitatem: ipse contra uetus peccatum opposuit nouum mandatum. Quapropter quisquis uetus peccatum uis extinguere, mandato nouo extingue cupiditatem, & amplectere charitatem. Sicut enim radix omnium malorū est cupiditas, ita & radix omnium bonorum est charitas. Item. Ille itaq; tenet & quod patet & quod latet in diuinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus. Item. Charitas est salus morum, finis cœlestium præceptorum, mors criminum, uita uirtutum, uirtus pugnantium, palma uictorum, arma sanctarum mentium, causa meritorum bonorum, præmium perfectorum, sine qua nullus Deo complacuit, fructuosa in pœnitentibus, læta in proficientibus, gloriosa in perseuerantibus, uictoriosa in martyribus, operosa in omnibus omnino fidelibus. Ex qua quicquid est boni operis uiuit &c. Quid rogo simile potest iste improbus charitatis suggillator, impugnator & calumniator de sola fide proferre? Eat ergo iam & opponat nobis B. Augustinum, obijciat S. Ambrosium, iactitet sanctos patres. Ego certe M. T. Cæsar ostendi, hos patres, Ambrosium & Augustinum sentire nobiscum pro charitate contra solam fidem. Nec mihi difficile foret, idipsum ex alijs quoq; sanctis patribus perquàm lucidissime ostendere, nisi uererer tædiosam fore M. T. prolixitatem in re non dubia. Cęterum quàm improbæ sint petulantis huius nugatoris in nos & scholasticos Theologos calumniæ, quarum nonnullas supra recitatas audisti, clarius intelliget M. T. ubi recitata fuerint ea, quæ S. Thomas (quem Philippus ipse inter cordatiores Doctores connumerat uel primo loco) de iustificatione impij & scripsit & docuit.

Rom. 13. *1. Tim. 1.* *Aug. in Ser. de laudibus charitatis.* *Ioh. 13.* *1. Tim. 6.*

Recita.

69 SCRIBA. Verba S. Thomæ, de iustificatione impij.

S.Tho. in prima secundæ quæst. 109. in prin.

I Consequenter consyderandum est de exteriori principio humanorum actuum scilicet de Deo, pro ut ab ipso per gratiam adiuuamur ad recte agendum.

II Manifestum est enim, quod sicut omnis motus corporalis reducitur in motum cœlestis corporis, sicut in primum mouens corporale: Ita omnes motus tam corporales quàm spirituales reducuntur in unum primum mouens simpliciter, quod est Deus.

III Non solum autem à Deo est omnis motus sicut à primo mouente, sed etiam ab ipso est omnis formalis uel rationalis perfectio sicut à primo actu.

IIII Actio igitur intellectus & cuiuscunque entis creati, dependet à Deo quantum ad duo. Vno modo, inquantum ab ipso habet perfectionem seu formam per quam agit. Alio modo, inquantum ab ipso mouetur ad agendum.

Ib. art. 2. V Sic igitur uirtute gratuita, superaddita uirtuti naturæ, indiget homo in statu naturæ integræ, quantum ad unum, scilicet ad operandum & uolendum bonum spirituale: Sed in statu naturæ corruptæ, quantum ad duo, scilicet ut sanetur, & ulterius ut bonum supernaturalis uirtutis operetur quod est meritorium. Vlterius autem in utroque statu indiget homo auxilio diuino, ut ab ipso moueatur ad bene agendum.

Ib. art. 5 VI Homo per sua naturalia non potest producere opera meritoria proportionata uitæ æternæ, sed adhoc exigitur altior uirtus, quæ est uirtus gratiæ, & ideo sine gratia non potest homo mereri uitam æternam.

Ib. art. 6. VII Homo non potest se præparare ad lumen gratiæ suscipiendum nisi per auxilium gratuitum Dei interius mouentis.

VIII Nihil potest homo facere nisi à Deo moueatur, secundum illud Iohan. xv. Sine me nihil potestis facere. Et ideo, cum dicitur homo facere quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis secundum quod est motus à Deo.

IX Hominis est præparare animum, Prouer. xvj. quia hoc facit per liberum arbitrium, sed tamen hoc non facit sine auxilio Dei mouentis & ad se attrahentis.

Ib. art. 7 X Apostolus dicit Gal. ij. Si data est lex quæ potest iustificare, ergo Christus gratis mortuus est. Pari ergo ratione si homo habet

naturam

naturam per quam iustificari potest, ergo Christus mortuus est gratis, id est, sine causa.

XI Homo nullo modo potest resurgere à peccato per seipsum sine auxilio gratiæ.

XII Cum dicitur Ephe. v. Exurge à mortuis, & illuminabit te Christus, Non est intelligendum, quod tota exurrectio à peccato præcedat illuminationem gratiæ. Sed quia cum homo per liberum arbitrium à Deo motum, surgere conatur à peccato, recipit lumen gratiæ iustificantis.

XIII Sic igitur habitualis gratia, inquantum animum sanat uel iustificat, siue gratam Deo facit, dicitur gratia operans: inquantum uero est principium operis meritorij, quod ex libero arbitrio procedit, dicitur cooperans. *Ib. quæst. III. art. 2.*

XIIII Quando ait Augustinus, Qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te, Hoc intelligendum est, quod Deus non sine nobis nos iustificat, quia per motum liberi arbitrij, dum iustificamur, Dei iustitiæ consentimus. Ille tamen motus non est causa gratiæ, sed effectus. Vnde tota operatio pertinet ad gratiam.

XIIII Quinque sunt effectus gratiæ in nobis. Quorum primus est, ut anima sanetur, Secundus ut bonum uelit, Tertius ut bonum quod uult efficaciter operetur, Quartus ut in bono perseueret, Quintus, ut ad gloriam perueniat. *Ib. art. 3.*

XV Nemo scit, utrum sit dignus odio uel amore, Ecclesiastes. ix. Sed gratia gratum faciens facit hominem dignum Dei amore. Ergo nullus potest scire, utrum habeat gratiam gratum facientem. *Ib. art. 5. q. 112*

XVI Effectus diuinæ dilectionis in nobis, qui per peccatum tollitur, est gratia, qua homo fit dignus uita æterna, à qua peccatum mortale excludit. Ideo non posset intelligi remissio culpæ, si non adesset infusio gratiæ, quia offensa non remittitur, nisi per hoc quod animus offensi pacatur offendenti. *Ib. quæst. 113. art. 2.*

XVII Deus hominem ad iustitiam mouet secundum conditionem naturæ humanæ, homo aut secundum propriam naturam habet quod sit liberi arbitrij. Et ideo in eo qui habet usum liberi arbitrij, non fit motio à Deo ad iustitiam absque motu lib. arb. *Ib. art. 3.*

XVIII Deus ita infundit donum gratiæ iustificantis, quod etiam simul cum hoc mouet liberum arbitrium ad donum gratiæ acceptandum in his qui sunt huius motionis capaces.

XIX Pueri non sunt capaces motus liberi arbitrij, Et ideo mouentur à Deo ad iustitiam per solam informationem animæ ipsorum. Hoc autem non fit sine sacramento baptismi.

Ib. art. 4. Psal. 84. XX Deus mouet animam hominis conuertendo eam ad seipsum, ut dicitur in Psal. secundum aliam literam. Deus tu conuertens uiuificabis nos. Et ideo ad iustificationem impij requiritur motus mentis, quo conuertitur in Deum. Prima autem conuersio in Deum fit per fidem, secundum illud ad Heb. xj. Accedentem ad Deum oportet credere quia est. Et ideo motus fidei requiritur ad iustificationem impij.

XXI Sicut per fidem iustificatur homo, ita etiam & per quædam alia, scilicet per timorem, de quo dicitur Eccl'i. j. Timor Domini expellit peccatum, nam qui sine timore est, non poterit iustificari. Et iterum, per charitatem, secundum illud Luc. vij. Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Et iterum per humilitatem, secundum illud Iacobi. iiij. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

XXII In iustificatione impij requiritur actus fidei quantum ad hoc, quod homo credat Deum iustificatorem esse hominum per mysterium Christi.

XXIII Motus fidei non est perfectus nisi sit charitate informatus. Vnde simul in iustificatione impij cum motu fidei est etiam motus charitatis. Mouetur autem lib. arb. in Deum ad hoc, ut se ei subijciat. Vnde etiã concurrit actus timoris filialis & humilitatis.

Ib. art. 6. XXIIII Quatuor enumerantur quæ requiruntur ad iustificationem impij, scilicet Gratiæ infusio, motus liberi arbitrij in Deum per fidem, & motus lib. arb. in peccatum per detestationem eius, & remissio culpæ quæ est iustificationis consummatio. Dicitur enim Esa. xxvij. Iste est omnis fructus, ut auferatur peccatum eius.

Quàm multa de charitate scripsit S. Thomas. Hæc breuiter ex uno S. Thomæ libro recitata sint, ad cætera, quæ huic commoda essent disceptationi, non est modo tempus aut opportunitas. Quis enim facile uel perlegat semel, quæ uir ille pie, caste, sobrie ac solide scripsit ac disputauit de charitate & eius fructibus? Etenim ut taceam XXII. quæstiones, quibus multo plures insunt articuli, hac de re in Secunda Secundæ, XVII. capitula. In summa contra Gentiles libro tertio, & XIII. quæstiones in materia de uirtutibus, XVI. item quæstiones de gratia & iustificatione impij, in summa de ueritate, Quis non defatigetur operosis illis quæstionibus, quas de charitate

scripsit

scripsit in Magistrum sententiarum per sex distinctiones libri tertij? Certe unus ille inter opuscula liber eius, quem inscripsit de dilectione Dei & proximi, magis est eruditus, pius, utilis & ædificatorius, quàm sint omnes omnium Lutheranorum quamlibet operosæ lucubrationes & opera. M. T. obsecro, Religiose Imperator, clementer mihi permittat, saltem ex fine illius paucula pietatis uerba referre, quæ mihi sane post huius contentionis amaritudinem, mellis instar dulcia uidentur. Sic enim ait.

S. Tho. in opusculis opus. 61.

O charitas ordinis regula, electorum lex uniuersalis, uniuersos ligans, uirtus uirtutum, Canon Canonum, lex legum, non constitutio populi, sed principis placitum, sententia Regis regum, qua non solum edidit uel condidit iubendo, sed & edixit & promulgauit personaliter docendo, & adimpleuit seruando, Esa. xxxiij. Dominus legifer noster, Dominus Rex noster. Deut. xxxiij. In dextera eius ignea lex, dilexit populos &c. Quasi lex terrena mandata iudicialia, ad modum terræ grauia, prementia non premiantia, obruentia non eruentia. Quasi lex aquea, mandata ceremonialia. Quasi lex aerea, cætera moralia. Sed amandi lex ignea, lucens, incendens, sursum mouens, carbo incipientibus, flamma proficientibus, lux perfectis. Hæc est lex in dextera, non tantum in corde eius, ad dictandum & dijudicandum. Et non in sinistra, sed in dextera manu, ad implendum, ad cooperandum, ad premiandum, Psal. lxxxiij. Etenim benedictionem dabit Legislator. Ecce lex Domini conuertens animas, mater & origo legum diuinarum, magistra & domina humanarum rationabilium & æquarum, hostis iniquarum. Cuius obseruantia per gratiam in hac uita initiatur, & continuata usq; ad mortem in alia uita consummatur. Cum in ea de seruiente miles, de nouitia professus, de sponsa subarrata fit cõiunx consummata, per Ihesum principem summæ Maiestatis, Abbatem summæ sanctitatis, sponsum diuinæ charitatis, qui cum Deo patre & spiritu sancto uiuit & regnat Deus in sæcula sæculorum, Amen. Hæc S. Thomas. 70

Laudes charitatis ex S. Tho.

Quis igitur tam uæsanæ, reprobæ ac deploratæ mentis sit, qui tam pijs eruditisq; ac solidis doctoribus, Cypriano, Ambrosio, Hieronymo, Augustino & Thomæ Aquinati, quos omnes aduersus solam fidem produximus, non magis credat & consentiat, quàm uerboso huic nugoni, qui tantos uiros simul cum tota Ecclesia tam stulte impugnat quàm superbe iudicat, cui censoriam uirgam nemo dedit, sed temere ipse sibi sumit. In quem profecto cum pio Iob dicere possunt, 71

Iob. 30. Nunc derident nos iuniores tempore, quorum non dignabamur patres ponere cum canibus gregis nostri. Nunc in eorum canticum uersi sumus, & facti sumus eis in prouerbium. Philippus enim iste superbissime præ se contemnit Origenem, quem tamen sequi fatetur Græcos magno consensu, & ex Latinis eos, qui uidentur esse columnæ, Ambrosium scilicet & Hieronymum. Et hanc eius superbiam fouet suus Lutherus, qui sic præfert eum omnibus, ut non uereatur scribere, Hieronymi & Origenis Cōmentaria, esse meras nugas & ineptias, si Philippi sui Annotationibus comparentur. Et ne iactitet aliquis, Philippum Paulo quoq; superiorem uel æqualem esse, ait Philippo, Sufficit te proximum Paulo esse.

Phil. in Locis communibus.

Luth. in epistola præliminari in Anno. Phil.

72 Quantumuis autem inflet eum scientia, nos tamen amore ueritatis ostendimus & olim quàm fœde lapsus sit tum in Didymo suo tum in locis communibus de libero arbitrio, & nunc non solum quàm inepte, uerum etiam quàm maligne ac fraudulenter asserat solam fidem. De qua tamen non asserenda sed reijcienda ficte consenserat nobis Augustæ in concordiæ Tractatu. Malignitas profecto ingens est, tot nos onerare calumnijs contra conscientiam propriam. Nec minor fraudulentia in simulando & dissimulando, dum in omnem partem tortuose uertit calamum, ut incautos decipiat. Nos autem tortuosum hunc colubrum, quamlibet lubricum & sæculari rhetorica uersutum, ita tenemus medium, Deo bene iuuante, ut nullo astu elabi possit. Constringitur enim Saxonicæ Visitationis proprijs uerbis, quòd non sola fides, sed etiam pœnitentia prædicanda sit, quia carnalis illa de sola fide securitas peior sit omni sub Papatu errore. Constringitur & proprio consensu in concordiæ Tractatu, ubi consensit, omittendam esse hanc uoculam, Sola. Constringitur item arctissime publica & M. T. Cæsar, & omnium sacri Ro. Imperij Ordinum autoritate & sententia, qua publice decretum est Augustæ, ne doceatur ulterius, nos sola fide iustificari. Constringitur deniq; ualidissime infallibili sacræ scripturæ censura & iudicio, dum nos apertissime ex uerbis Prophetarum Christi, Pauli & aliorum Apostolorum, conuicimus, hominem non sola fide iustificari, atq; etiam ex superabundanti idipsum probauimus non solum autoritate B. Augustini & S. Thomæ, uerum etiam Dialectices præsidio, inferentes ex ista propositione, Sola fides iustificat, multa quæ omnino falsa sunt. Quod certe fieri non posset, si esset ipsa uera, iuxta tritam istam Dialecticorum regulam, Ex falso uerum, Ex uero nil nisi uerum. Dixi.

PHILIPPICA

QVARTA IO. COCHLEI, DE SEPTIMO & octauo Confessionis Lutheranæ articulis, ubi agitur de Ecclesia.

QVanquam magnæ nobis erant causæ, Inuictissime Imperator, circa septimum Luthericæ Confessionis articulum & acrius & scrupulosius respondendi quàm fecimus: non tam propter uerba Confessionis (quæ subdolo captandæ gratiæ & beneuolentiæ lenocinio insidiose blandiebantur in hypocrisi) quàm propter priora tum Lutheri tum Philippi huius contra Ecclesiam scripta, per quæ sane nimium constabat, quàm contemptim & inique fuerit ab eis conculcata sanctæ matris Ecclesiæ autoritas.

Mitissime tamen & publice responsum est eis in conspectu M. T. & seorsum hac de re actitatum cum eis in Concordiæ tractatu, id quod acta publica testantur, quæ Imperialibus gestorum scriniis inserta sunt, & Augustæ in Autentica forma per publicum & iuratum Notarium, immo plus quàm Notarium, nempe per insignem quendam Iureconsultum & Cancellarium, D. Hieronymum Veun, & M. T. & sacri Ro. Imperij Ordinibus exhibita & perlecta. Nam quum Catholici omnes uere desyderarent Ecclesiæ pacem, quam & Lutherani suppliciter ambire & à M. T. petere uiderentur, non conueniebat, acriori responso eam expectationem labefacere. Vnde factum est, ut benignius ac simplicius ad totam eorũ Confessionem responsum sit quàm uel meruerant ipsi uel causæ magnitudo exigebat. At Rhetoris huius tanta est in nos amarulentia, ut in Apologia mox sub initium criminetur nos Sycophantas, quod in responsione nostra monuimus, ab Ecclesiæ consortio non segregandos esse malos & peccatores qui in Christum credunt, cum ipsi dicerent, Ecclesiam esse congregationem sanctorum.

Huius autem benignæ admonitionis nostræ & multæ profecto & necessariæ nobis erant causæ, Imperator, quas optimo cuiq; facile probaremus. Constabat enim quàm peruersæ & perniciosæ fuerint de Ecclesiæ membris opiniones Vualdensium, Vuiclephistarum, Hussitum atq; aliorum id genus hæreticorum, quorum dogmata terq; quaterq; damnata, impio ausu Germaniæ populis inculcant contra M. T. Edictum Lutherani.

Etenim

Vualdenſes. Etenim docebant Vualdenſes, ſacerdotium Apoſtolicum ablatum eſſe ab Eccleſia Romana tempore Syluestri Papæ & Conſtantini Imperatoris, Romanos itaq; ſacerdotes, quoniam uitijs omnibus ſcaterent, neminem abſoluere poſſe. *Pauperes de Lugduno.* Docebant Pauperes de Lugduno ſe ſolos eſſe Chriſti Eccleſiam, uerosq; Chriſti diſcipulos & Apoſtolorum ſucceſſores, proinde ſe ſolos abſoluendi ligandiq; poteſtatem habere, Romanam uero Eccleſiam eſſe Babylonem & meretricem, omnesq; damnari quicunq; obediunt illi. *Dulciniſtæ.* Docebant Dulciniſtæ, autoritatem Ro. Eccleſiæ omnino euacuatam eſſe, & iamdudum ceſſaſſe propter malitiam Prælatorum, totamq; poteſtatem illam ſpiritualem, quam Chriſtus dedit Eccleſiæ, tranſlatam eſſe in ſectam ſuam, quam dicebant de ordine Apoſtolorum. *Vuiclephiſtæ.* Docebant Vuiclephiſtæ, Epiſcopos & presbyteros, qui in peccato mortali eſſent, non ordinare, non conficere, non baptizare, non conſecrare, Ro. Eccleſiam eſſe ſynagogam Satanæ, & Papam cum omnibus Cardinalibus & Clericis, poſſeſsionem habentibus, hæreticos eſſe, & non modo eos, ſed etiam laicos illis conſentientes. *Hußitæ.* Docebant Huſsitæ, Eccleſiam eſſe numerum prædeſtinatorum, Præſcitos autem, etſi aliquando ſint in gratia ſecundum præſentem iuſtitiam, nunquam tamen eſſe partem eccleſiæ ſanctæ. Non oportere igitur credere, quod Papa ſit caput Ro. Eccleſiæ, niſi reuelatum ſit, eum à Deo prædeſtinatum eſſe, Nec eſſe Papam uerum & manifeſtum ſucceſſorem Petri, ſi non imitetur mores & uitam Petri &c. Cum igitur nos non lateret, conſimiles impietatis & uæſaniæ uoces à Lutheranis quoq; paſsim ſpargi ac iactari in uulgus, neceſſarium ſane uidebatur nobis, contra huiuſmodi errores breuem admonitionem pie & abſq; omni amarulentia ſuperaddere, ne uideremur in eiuſmodi errorem tacite conſentire, neue alij talem ſenſum ex uerbis eorum conciperent.

Nullam igitur dedimus amaro huic conuitiatori cauſam ad atroces calumnias dirasq; imprecationes ſuas, quas in Apologia ſua in nos hoſtiliter eiaculatur, dum inuidioſe queritur, nullum remedium eſſe aduerſus Sycophantæ morſum, nihil tam circumſpecte dici poſſe, ut calumniam euitare queat, Atq; ut calore aliquando rhetorico igneſcere ac fulminea Iouis ſui uerba intonare uideatur, ait alicubi, Deus perdat iſtos impios Sophiſtas, tam ſceleſte detorquentes uerbum Dei ad ſua ſomnia uaniſsima. Hic eſt ſcilicet decorus, quo decebat hunc Oratorem uti ad Cæſaream Maieſtatem in modum lixæ aut lotricis conuitiari ac maledicere. At tuum eſto Cæſar iudicium, num iuſte aut

Chriſtiane

Christiane sic quiritetur aduersum nos sæuus iste Gigantum fraterculus. Certe responsio, in quam sic inuehitur, tam hostilia non meruit, eaq; non tam nostra quàm M. T. omniumq; sacri Ro. Imperij Ordinum fuit. Hæc enim uerba præmittebantur in prologo, Quam sane responsionem, sacra Cæsarea Maiestas, ut decet Christianum Imperatorem, accuratissime perlegit, ac cæteris Ro. Imperij Electoribus, Principibus & Statibus legendam dedit & examinandam, quam & ipsi, tanquam Orthodoxam, & cum Euangelio & sacris literis per omnia consentientem approbauerunt. Sed & in Recessu Imperiali idem assecuta est responsio illa testimonium publicum & M. T. & omnium sacri Ro. Imperij Ordinum.

Non igitur sine graui læsæ Maiestatis crimine tot maledictis & calumnijs incessitur, laceratur, atq; traducitur ea responsio à procaci ac rebelli hoc rhetorculo, cuius tanto maior est in conuitiando malignitas, quanto certius nouit (utpote qui præsens interfuit) quàm benigne summa cum diligentia, maturitate & instantia pro reparanda unitate omniq; discordia salubriter tollenda, cum Lutheranis Augustæ & à M. T. & ab alijs Imperij Ordinibus actum sit. Quicquid igitur in eam responsionem dicit, in M. T. & in alios Principes ac Status Imperij, qui eam approbauerunt, dicere conuincitur, uelut perduellionis & læsæ Maiestatis reus. 4

Nos admonitioni illi nostræ nullum scomma, nullum conuitium adiecimus, sed causas fideliter adduximus tum ex diuersis Euangelij locis & parabolis, tum ex sententia & autoritate Concilij Constantiensis, quod dogma illud Hussiticum, quo segregantur ab Ecclesia Christiani mali & peccatores, publice damnauit, & autorem illud pertinaciter asserentem, hæreseos damnauit. Et iustissime quidem. Est enim dogma illud & antea sæpissime damnatum, non modo in barbaris hypocritis, Vualdensibus, alijsq; supra commemoratis hæreticis, uerum etiam in plærisq; alijs simili pharisaismo superbientibus aliosq; præ secta sua contemnentibus & damnantibus. 5

Quales fuerunt fraticelli seipsos flagellantes, qui inter quinquaginta damnabiles & damnatos articulos secundo loco ponebant, ac superbe affirmabant, Deum reiecisse Papam omnesq; Episcopos & Prælatos ac presbyteros, ne deinceps populo in spiritualibus præessent, omniq; eos absoluendi & ligandi potestate priuasse, omnia uero in Crucifratres transtulisse. Et Leonistæ, qui inter lxx. perfidiæ suæ articulos uanissima superbia docebant, Ecclesiam Romanam non esse 6 *Fratres flagellatores.* *Leonistæ.*

Ecclesiam Ihesu Christi, sed Ecclesiam malignantium, Papam esse caput omnium errorum, Prælatos scribas, Monachos pharisæos, non esse obediendum Prælatis sed soli Deo, Romanam ecclesiam propter peccata Cleri damnatam esse.

7 *Donatistæ.* Et longe ante eos consimili superbia insaniebant Donatistæ in Aphrica, in quos tam multos edidit libros sermonesq; & Epistolas B. Augustinus, quia damnabant omnes ecclesias totius mundi quæ non sequerentur partes Donati, nec ullum é Catholicis in suum admittebant consortium, nisi rebaptizatum, quasi nullibi essent uera sacramenta nisi in parte Donati. *Aug. in Ps. 10.* Contra quos sic ait B. Augustinus in quinquagenis. Non confidunt in Domino, qui tunc esse dicunt sancta Sacramenta, si per sanctos homines dentur. Cogunt itaq; eos, qui accipiunt sacramenta, spem suam in hominem ponere, cuius cor uidere non possunt. *Hiere. 17.* Et maledictus omnis, qui spem suam ponit in homine. *Idē in Psal. 85* Et iterum. Christo (inquit) tales maledicunt, qui dicunt, quia perijt ecclesia de toto orbe terrarum, & remansit in sola Aphrica. Si diceres illi, perdes uillam tuam, forte non à te temperaret manum. Et dicis, Christum perdidisse hæreditatem suam, redemptam sanguine suo? *Pro. 14.* Quam autem faciat iniuriam, uidete fratres. Scriptura dicit, In lata gente gloria regis, in diminutione populi contritio principis. Ergo hāc iniuriam facis Christo, ut dicas, populum eius ad istam exiguitatem diminutum. Ideo natus es, ideo Christianum te dicis, ut inuideas gloriæ Christi? cuius signum te in fronte portare asseris, & de corde perdidisti? Hæc & id genus plurima B. Augustinus uarijs in locis & libris contra Donatistas, prædamnatos Lutheranorum proauos, quos illi reipsa sequuntur, licet uerbis in Confessione sua damnent.

8 Quemadmodum enim Donatistæ separarunt sese à Catholica Ecclesia propter unum hominem factiosum, nempe Donatum, qui per inuidiam, dolens sibi in Episcopatu Carthaginensi prælatum fuisse Cecilianum, diuisit plebem, & factione sua in odiū Ceciliani alium constituit Episcopum Maiorinum, atq; ut factioni suæ robur adderet, Cecilianum traxit in iudicium, multa ei crimina calumniose obijciens non solum Romæ apud Melchiadem Papam, & Arelati apud Galliarum Episcopos, uerum etiā coram Imperatore Constantino Magno. Et quanquam ubiq; succubuit uictus, nihilominus plebem interim & nouarum rerū cupidos falsis in electum Episcopum criminationibus ita traxit in partem suam, ut creuerit ea factio intra breue tempus in tantam sane multitudinem, ut in Aphrica numerum Catholicorum

superare

superare uideretur, nam supra CCC. Episcopos in parte sua numera-bat, adeoq; inualescebat, ut Romæ quoq; Episcopum sibi in parte sua ordinaret, Ita & Lutherani nunc separant se perniciosissime non solum à Papa & ab Ecclesia catholica, uerum etiam à M. T. Imperator & ab omnibus catholicis Principibus ac Statibus sacri Ro. Imperij, propter unum factiosissimum hominem, nempe Lutherum, cui sic adhærent, ut non uereantur propter eum schisma excitare, ut hac audacia sua multos Imperij populos & Papæ & M. T. rebelles efficiant, atq; in factionem trahant suam.

Verum Donatistæ multo plus in malitia sua gloriari poterant 9
quàm possunt Lutherani. Primum, quia multos habebant in parte sua Episcopos. Quamuis enim Maximianistæ (pars factionis eorum) rapuissent in partem suam centum Episcopos, reliqua tamen multitudo retinuit multo plures, nempe CCC. & X. Episcopos. At Lutherani hactenus per annos XIIII. ne tres quidem Episcopos in partem suam trahere potuerunt, quamuis barbara, instar Pighardorum, temeritate passim in oppidulis suis ex plebanis & apostaticis Monachis sine omni ordine Episcopos uoce tantum instituerint, quos Cerdonibus similiores dicas quàm sacerdotibus. Deinde, longe maior Donatistarum erat multitudo quàm Lutheranorum. Hi enim in una tantum prouincia, nempe in sola Germania, suas habent in manifesto Ecclesias: illi uero ultra CCCC. Episcoporum populos Aphricæ etiam in transmarinis regionibus, atq; adeo in ipso capite mundi ROMA & populos habuerunt & Episcopos.

In multis excellebant Lutheranos Donatistæ.

Tertio, multo plures maioresq; & doctiores habebant defensores Donatistæ quàm Lutherani habent. Illi enim permultos habebant Episcopos eosq; ita & eruditione & eloquentia ingenijq; acrimonia decoratos, ut cum ipso Augustino, fulgidissimo illo Ecclesiæ catholicæ lumine & præsidio, congredi atq; contendere & auderent & possent, non solum in priuatis seu literis seu colloquijs, uerum etiam in publicis plurimorum Episcoporum conuentibus & collationibus, licet causa & æquitate semper inferiores essent. Quem uero dabunt nobis ex omnibus defensoribus suis Lutherani, qui Augustino comparari aut in arenam cum eo honeste committi potuisset? Superbissimi quidem sunt Lutherus & Philippus iste, duo eorum luminaria, qui stulta confidentia seipsos maximi faciũt, & supra omnes iactitant, sed quales aut quanti forent, obsecro, ad Augustinum comparati? si nos paruuli & priuati homines, possumus, Deo dante, eos tum scripturis tum

proprijs eorum libris, & hæreseos conuincere, & de innumeris redar-
guere mendacijs, quid non posset in eos inuictissimus ille Catholico-
rum propugnator omnisq; generis hæreticorum debellator Augusti-
nus? Nemo (arbitror) eousq; desipiet, ut censeat eos dignos qui Au-
gustino conferantur. Quid enim ad talem tantumq; Episcopum uide-
ri queant infamis & periurus Apostata, uxoriusq; & pene imberbis
adhuc pædotriba?

Quarto. Longe pauciores habebant errores Donatistæ quàm
Lutherani. Illi enim præter uitium schismatis, non alium docebant
Aug. Epi. 50. errorem, nisi quod Catholicos ad se transeuntes, rebaptizabant, tan-
quam extra eorum sectam nemo uere baptizari posit. Lutherani ue-
ro cunctis propemodum hæreticis errore aliquo participant, quemad-
modum diserte attestata est iam olim sacratissima M. T. in Edicto
Vuormaciensi.

Quinto. Errorem suum Donatistæ argute & copiose probare ui-
debantur ex plurimis sacræ scripturæ locis, atq; etiam autoritate S.
Cypriani, gloriosi Doctoris & Martyris Christi. Quantis enim ratio-
nibus & scripturis contendit uir ille sanctissimus, extra Ecclesiam
apud hæreticos non uerum esse baptisma, proinde rebaptizandos esse
eos qui ab hæreticis ad Ecclesiam ueniunt? quem non moueat in epi-
stola ad Iubaianum? in epistola ad Pompeium? in epistola ad Ste-
phanum Ro. Pontificem? maxime uero in Concilio Carthaginensi,
ubi tot præclari Episcopi ei consenserunt? Ea itaq; omnia Donatistæ
in partem & sententiam rapiebant suam, licet inique, quia Catholicos
pro hæreticis habebant, & se solos ecclesiam Dei dicebant, quod certe
S. Cyprianus nunquam fecit, ne cogitauit quidem. Quid uero pro in-
numeris erroribus suis comprobandis afferunt Lutherani? multa qui-
dem uerba, sed sine ratione, sine pondere, sine æquitate. Maxima li-
brorum suorum pars conuitia habet & calumnias iactantiasq; impu-
dentes, Si quando uero afferunt scripturas, eas ita deprauant ac de-
torquent, ut credas nunquam fuisse crudeliores aut maligniores ueri-
tatis & uerbi Dei carnifices & caupones quàm isti sunt.

10 Placet igitur nobis, Imperator, à Lutheranis in Confessione sua
Rom. 2. damnari Donatistas, at nihilominus dicimus eis ex Paulo apostolo,
quod inexcusabiles sint. In quo enim alios iudicant, seipsos conde-
mnant, eadem enim agunt quæ iudicant, immo & multo peiora per-
petrant, uti iam dictum est. Quot enim errores docent, quos illi non
docuerunt? rebaptizabant illi Catholicos, isti miseris rebaptizatoribus
nostris

nostris ansam & originem dederunt, ut ostensum est supra, & ultra hunc errorem multo plures circa baptismum addiderunt. Non docuerunt Donatistæ, Baptismum neminem iustificare nec ulli prodesse, sed solam fidem, uti Lutherus docet, Nec destruxerunt baptisteria Donatistæ, nec irriserunt benedictionem fontis baptismalis, nec omiserunt solennem exorcizandi ritum, nec mutauerunt consuetas circa baptismum ceremonias, ut faciunt barbarice Lutherani. Neq; alios multos Lutheri de baptismo errores, quos ego alibi commemoraui, asseruerunt Donatistæ. Hic breuitatis gratia sufficiat, M. T. ostendere, Donatistas multo minus reprehensibiles fuisse etiã circa baptismum (in quo uno male repetito errabant) quàm reprehensibilis est Luthericus iste defensor, qui Donatistas damnat, qui certe nihil eorum docuerunt, quæ ex libris Philippi huius recitanda nunc exhibeo. *Philippica.2. & 3.* *Luth. de Cap. Baby.* *Lib.2. de erroribus Luth.*

Recita.

SCRIBA. Errores Philippi de Baptismo.

I Duo sunt omnino signa sacramentalia, Baptismus & Eucharistia: Reliqua sacramenta quæ connumerantur, commenta sunt hominum. *Phil. in Anno. 1. Cor. ix.*

II Estq; baptismus proprie pœnitentiæ signum, sicut Iohannes dixit, se baptizare in pœnitentiam.

III Nec sacramentum pœnitentiæ distinguendum est à baptismo, quia ipse baptismus est sacramentale signum pœnitentiæ.

IIII Non iustificant signa, ut Apostolus ait, Circumcisio nihil est, ita baptismus nihil est, participatio mensæ Domini nihil est, sed testes sunt & sphragides diuinæ uoluntatis erga te. *Idem in Locis communibus.* *Sphragides, id est, sigilla uel signacula.*

V Vel sine signo Gedeon uicturus erat, si credidisset: ita sine signo iustificari potes, modo credas, adeo non iustificant signa.

VI Fidei excitandæ gratia signa sunt proposita: Nunc & fidem & signorum usum extinxerunt, qui ea in quæstu habent.

VII Hæc de signorum natura ideo monui, ne quis scholasticos sequatur, qui iustificationem horrendo errore signis tribuerunt.

VIII Atq; hinc adparet, quàm nihil signa sint, nisi fidei exercendæ mnemosyna.

IX Vterq; baptismus idem significat, sed hoc discrimine, quod adhuc prædicandæ gratiæ Iohannis baptismus testimonium erat, Christi baptismus iam collatæ.

X Non iustificabant neq; Iohannis neq; Christi baptismus, de signis loquor, sed certificabant, Iohannis lauacrum de prædicanda

adhuc gratia, Christi baptismus testabatur iam collatam esse gratiam, & promulgatam promissionem gratiæ. In utroq; iustificabat fides.

XI Sacramentum pœnitentiæ uel signum non aliud nisi baptismus est.

XII Neq; aliud est uita Christiana, nisi hæc ipsa pœnitentia, hoc est, regeneratio nostri.

XIII Sicut Euangelium non amisimus alicubi lapsi, ita nec Euangelij sphragida baptisimum.

XIIII Certum est autem, Euangelium non semel tantum, sed iterum atq; iterum remittere peccatum. Quare non minus ad secundam condonationem quàm ad primam baptismus pertinet.

12 *Rebaptizantium tria genera.* Nihil horum docuerunt, Imperator, Donatistæ, qui hac una re grauissime & peccabant & errabant, quod rebaptizabant Catholicos qui ad sectam eorum transibant, & affirmabant extra sectam suam non esse usquam uerum baptisma. Luthericos uero & Philippicos de baptismo errores nusquam docuerunt. Minus igitur & in ea parte, in qua sola grauissime peccauerunt, reprehensibiles uidentur, quàm sunt irreligiosi & impij doctores isti nouelli. Quid ita? Quia Donatistæ semel tantum rebaptizabant, idq; faciebant, non ut intenderent rebaptizare, sed ut semel uere baptizarent eum, qui alibi falso (ut ipsi putabant) baptismate inaniter baptizatus fuisset. Quemadmodum nunc infœlices Anabaptistæ nostrates, rebaptizant semel tantum adultos, tanquam inaniter baptizatos in infantia sine propria fide. Lutherus uero & Ppilippus toties repetunt baptismum, quoties absolutionem & Euangelium, nullum aliud permittens pœnitentiæ signum seu sacramentum quàm baptismum. Quem tamen ita euacuant, ut nullam in eo iustificandi uirtutem relinquant. Hoc autem Donatistæ fecerunt minime, grauius igitur etiam circa baptismum errant & peccant Lutherani quàm Donatistæ fecerunt, non solum quod barbarice reijciunt priscas circa baptismum ceremonias, uerum etiam quia tollunt ab eo iustificationem, & repetunt eum quotiescunq; à peccatis absoluunt, signum pœnitentiæ ex eo facientes, ut duo tantum Ecclesiæ sacramenta relinquant, reiectis alijs quinq;. At hæc Donatistæ non fecerunt.

13 *Errores Lutheri innumeri.* Quantula uero est hæc, ô Auguste, Luthericarum impietatum portio, licet in ea uel pessimis hæreticis peiores esse cõuincantur. Tanta profecto est reliquorum Luthericæ doctrinæ errorum & multitudo

iuxta & magnitudo, ut omnes eorum circa baptismum errores (qui certe neque pauci neque parui sunt, si accuratius conquirantur & expendantur) uelut leuis ac minima portiuncula, pro nihilo præ illis multis & magnis haberi queant. Quis enim absque tædio percenseat, quot & quantos errores circa unum Eucharistiæ sacramentum male conceperunt, peius pepererunt, pessime dilatauerunt? Si tua Cæsar Maiestas iusserit, aut Lutherani à me postulauerint, non grauabor equidem uel mille propositiones erroneas circa istud sacramentum ex unius Lutheri libris in unum cumulum extrahere, quarum nullam uel sedes Apostolica uel ulla Vniuersitas sit admissura. Deinde si plures quis requisiuerit à me, ubi operæprecium uidebitur, dabo certe sexcentos Lutheri articulos reprobabiles circa sacramentum pœnitentiæ, ac totidem circa sacramentum Ordinis, atque etiam plures (si opus fuerit) circa sacramentum Matrimonij. Excedit enim Saxonicus iste Apostata omnes omnium ætatum hæreticos non solum superbia, iactantia, temeritate, furore & audacia, uerum etiam barbarica impietatum immanitate & damnatorum damnabiliumque errorum numero. Id quod M. T. Cæsar iam olim præsensit, ac diuinitus attestata est in Edicto Vuormaciensi. Quantos uero interim per X. annos continuos superaddidisse illum putemus, tot editis Teuthonice libris sermonibusque & utriusque Testamenti translationibus dicam an deprauationibus?

Hæc sane sunt M. T. uerba, ex Teuthonico translata, in Edicto Vuormaciensi. Et mente sua in eam cecidit insaniam, ut glorietur, si memoratus Huss semel hæreticus fuerit, ipse decies hæreticus existat. Atque ut omnes aliæ innumeræ Lutheri iniquitates, breuitatis gratia, omittantur, unicus iste, non homo, sed uelut Diabolus in specie hominis cum assumpta Monachatus cuculla, plurimorum hæreticorum maxime damnatas hæreses, quæ diu latuerunt, in unam fetidam paludem in simul congregauit, & quasdam à nouo excogitauit ipse. Hęc & id genus grandia multa in Edicto Auguste tuo, quæ tunc Vuormaciæ comprobauerunt publice reliqui Principes ac Status Imperij, sed & Augustæ anno superiore ab eis (demptis paucis) repetito consensu & approbatione sunt publice confirmata. 14 *Damnatio Lutheri in Edicto.*

Tanta tamen est impudentis huius Rhetoris audacia, & infrunita temeritas, ut reum hunc suum, tot præiudicijs iudicijsque & sententijs constrictum, grauatum ac reaggrauatum, ita ad M. T. defendere eiusque doctrinam impiam ac seditiosam commendare præsumat, ut

non

non uereatur etiam accusatoris partes contra nos, qui iussu M. T. benigne ad omnia respondimus, agere, perinde ac si nihil unquam aduersus Lutherum eiusq́ doctrinam pronunciatum sit. Cum non ignoret, libros eius iam olim & damnatos & exustos esse non solum à Papa & à M. T. â supremis inquam Ecclesiæ Christi potestatibus, quibus Christianos sub animæ suæ salute obedire docet Apostolus, uerum etiam ab alijs Regibus & Principibus totius Christianitatis, in Anglia, Scotia, Francia, Polonia, & ubi non? Quos & Turcas detestari ferunt, magis tamen propter seditionis incendia, quæ passim ijsce libris inserta sunt, quàm propter eius errores in fide & religione. Nam & M. T. in supra memorato Edicto affirmat, illum nihil propemodum aliud scribere, nisi quod ad seditionem, schisma, bellum, cædem, rapinam & incendium, atq́ ad totam Christianæ fidei defectionem tendat ac deseruiat.

Rom. 13.

15 Eat nunc Philippus, & in conspectu M. T. dicat nos Sycophantas, calumniatorés, crudeles & impios Sophistas, quos scit longe mitiora in Luthericam doctrinam dixisse Augustæ tum in responsione publica, tum in Concordiæ tractatu, quàm ante X. annos prius dixerunt & fecerunt summa Ecclesiæ capita Ro. Pontifex & Ro. Imperator, & post eos, summi Reges & Principes, Rex Franciæ, Rex Angliæ, Rex Poloniæ, Dux Lotharingiæ, Dux Sabaudiæ, Dux Gelriæ, Duces Bauariæ, Saxoniæ item Dux Georgius, & Elector Imperij Marchio Brandenburgensis, alijq́ nec pauci nec contemnendi Principes, qui sic damnarunt Lutheri doctrinam, ut nonnulli eorum morte affecerint non modo impios assertores & doctores, uerum etiam Bibliopolas & cursores, qui pestilentes ac uetitos libros attulerant.

16 Nos autem, qui Sycophantæ & impij Sophistæ à Philippo dicimur, quid fecimus? Longam (inquit) declarationē addiderunt, quod mali non sint ab Ecclesia segregandi. Est ne additio ista usq́ adeo uel iniqua uel impia? At audisti supra, Imperator, quàm necessarium fuerit nobis, contra diuersos multorum hæreticorum errores eam declarationem adijcere. Quid uero dicturus erat Philippus, si nos atroces & impias in sanctam Ecclesiam iniurias, quas ipse & Lutherus alibi scripserunt ac in uulgus disseminauerunt, contra M. T. leges & Edicta, in responsione nostra, immo publica & Imperiali recitandas exhibuissemus? nunquid nullas noueramus? At satis constat etiam Laicis tum Catholicis tum Lutheranis, quàm graues multasq́ & uarias in Rom. Ecclesiam contumelias & calumnias scripserint, dixerint,

pinxerint,

pinxerint, cantauerint Lutherani tum publice tum priuatim, propter quas profecto uel solas & temporali & æterno supplicio digni forent.

Quantas deinde scripserunt ac prædicauerunt in sacrosancta Concilia Oecumenica? quantas in omnem ordinem Ecclesiasticum? quantas in septem Sacramenta? in publica sacra? in solennes ceremonias? in receptas religionis nostræ obseruationes? in dies festos? in ieiunia? in peregrinationes? in fraternitates? in uestimenta & uasa consecrata? in quosdam noui Testamenti libros? in approbatas Ecclesiæ consuetudines? in sanctos Ecclesiæ Doctores? in sacros Canones? Breuiter in omnia sacra & mysteria fidei nostræ? Quid non contaminauerunt? quid saluum & intactum reliquerunt in tota Ecclesiæ Hierarchia? Nos tamen pacis & concordiæ studio de ijs omnibus dissimulantes, unum, quod necessarium erat, adiecimus, ne ab Ecclesia segregarent malos aut peccatores in Christum credentes, & propter unum istud uerbum mox dicimur Sycophantæ. Scilicet hæc est Lutheranorum patientia, in qua suas possideant animas.

At cur damnant ipsi Donatistas, qui nequaquam tot uel errores uel iniurias & blasphemias in Ecclesiam, quot ipsi, euomuerunt? Tolle enim sepationis crimen & unum de baptismo errorem, & inuenies Donatistas sexcentuplo meliores magisq; pios quàm Lutherani sunt. Cur ergo damnati sunt? quia schisma in hæresim uerterunt, & extra sectam suam nusquam uera putabant esse sacramenta. Magna quidem per se sunt ista, & damnatione dignissima, sed parua admodum & leuia uidentur, si ad Lutheranorum errores & furores conferantur, & in ijs Lutherani quoq; rei comperiuntur, licet illos damnent. Quantum enim schisma excitarunt? & id quantis cum tumultibus? quantis item erroribus antiquarum hæresum contaminatum? Donatistæ suam tantum sectam commendabant, Lutherani uero dicunt beatos Græcos, beatos Bohemos, beatos omnes quicunq; sese à Ro. Ecclesia separarunt. Vnde & barbaram Vualdensium colluuiem longe supra Ro. Ecclesiam laudibus extollunt, licet in hoc eam reprehendant, quod septem asserunt sacramenta sicut Ro. Ecclesia, cum ipsi duo tantum superesse affirment. 17

Luth. in Epitomen Syluestri.

Lut. ad fratres Vualdenses.

Quantumuis uero causetur & conuitietur in nos Philippus, rerum tamen euidentia uictus, in eandem nobiscum sententiam post longas & manes ambages & logomachias reuertitur. Concedit enim impios & hypocritas in hac uita, qua nondum reuelatum est regnum Christi, esse admixtos Ecclesiæ, & gerere officia in Ecclesia, atq; etiam 18

membra Ecclesiæ, secundum externam societatem signorum Ecclesiæ, hoc est, uerbi promissionis & sacramentorum, existere, præsertim si non sint excommunicati. Nec sacramenta ideo non esse efficacia, quia per malos tractantur, imo recte nos uti posse sacramentis, quæ per malos administrantur. Hæc, Imperator, ipsemet affirmat Philippus. Quid uero amplius tribuit impijs & hypocritis responsio nostra? Nunquid dicimus eos habere gratiam Dei, aut charitatem diffusam in cordibus per spiritum sanctum? nunquid sanctorum in cœlis consortium aut societatem angelorum? nūquid impios dicimus regnum aut hæreditatem Christi? Absit, sed dicimus malos & peccatores in Ecclesia huius uitæ admixtos esse bonis & sanctis, usq; ad consummationem sæculi, iuxta parabolas Domini Matth. xiij. & xxv. Eam proinde ponimus differentiam inter Ecclesiam triumphantem & militantem, quod in hac reperiuntur boni & mali, in illa boni tantum.

19 Ecclesia sancta est & dicitur, licet in ea aliqui sint mali.

Dicimus nihilominus Ecclesiam sanctam, licet mali quoq; in ea consistant. Est enim trita Dialecticorum regula, à digniori denominationem fieri. Iustius est igitur, ut Ecclesia militans à bonis dicatur sancta quàm à malis execrabilis aut prophana. Et huius regulæ pulchra habemus in scripturis exempla. Nam Paulus ad Corinthios scribens ait. Paulus Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Ihesu, uocatis sanctis, cum omnibus qui inuocant nomen Domini nostri Ihesu Christi. Et post pauca. Quia in omnibus diuites facti estis in illo, ita ut nihil uobis desit in ulla gratia. Et infra. Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in uobis. Siquis autem templum Dei uiolauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis uos. Item. Omnia enim uestra sunt, uos autem Christi, Christus autem Dei. Et rursus. Nescitis quoniam corpora uestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciā membra meretricis? Absit. Item. An nescitis, quoniam membra uestra templum sunt spiritus sancti, qui in uobis est &c. Nos autem supra

Philippica. 3.

ostendimus M. T. Cæsar, non omnes, qui Corinthi erant, ad quos Paulus scripsit, fuisse sanctos & iustos, sed permultos in ijs fuisse peccatores & malos, è quibus unum tradidit Satanæ, alijs minabatur suum aduentum in uirga, alios dicebat corripi à Domino, multos item dormire, quosdam etiam errare in fide, qui dubitabant etiam de necessario quodam fidei articulo, nempe de carnis resurrectione. Sic & ad Ephesios, ad Ppilippenses & ad Colossenses scribens, uocabat eos sanctos.

1. Cor. 15.

ctos, Non sane quod nemo inter eos esset malus aut peccator, sed à dignioribus in commune sancti dicebantur.

Sic & Petrus ait. j. Pet. ij. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Et in ueteri Testamento ait Dominus ad filios Israel, Exo. xix. Vos eritis mihi in regnum sacerdotale & gens sancta. Et Moses Deut. vij. Sculptilia comburite, quia populus es sanctus Domino Deo tuo. Et tamen constat plurimos ex ijs fuisse malos & peccatores, adeo ut ex sexcentis millibus duo tantum peruenerint in terram sanctam, eis à Deo promissam. Multos, qui uitulum adorauerant aureum, occiderunt Leuitæ Exo. xxxij. Multos deuorauerunt sepulchra concupiscentiæ Num. xj. Multos absorbuit terra uiuos in schismate, nec pauci perierunt murmure Nume. xvj. Deniq; pars magna occubuit gladio hostili Iosuæ. vij. Quamuis igitur in ea gente multi essent mali & peccatores, dicta est tamen gens sancta à dignioribus qui in ea gente sancti erant. Quandoquidem & Sodomis parciturus fuerat Dominus si uel decem boni in quinq; illis Ciuitatibus reperti fuissent Gen. xviij. Sic & Ecclesia recte dicitur sancta, licet plæriq; in ea sint mali & peccatores. 20 Num. 14.

Dicuntur præterea sancti alicubi, non à sanctitate uitæ aut à probitate morum, sed ab officij dignitate, quomodo sanctissimus dicitur Ro. Pontifex. Aut à sacrorum communione, dum in Ecclesia participant eadem sacramenta boni & mali, quidam digne, ad uitam, quidam uero indigne, ad mortem & in iudicium, sicut testatur Apostolus. j. Cor. xj. Vnde & in legibus Imperialibus reperiuntur tituli De sanctissimis Episcopis & reuerendissimis presbyteris. Et in epistolis sanctorum Patrum consueti erant & usitati honoris & sanctitatis tituli, quibus honore se inuicem præueniebant antiqui patres, iuxta doctrinam Apostoli Rom. xij. Sic ait ad Augustinum Hieronymus. Domino uere sancto & beatissimo Papæ Augustino Hieronymus in Domino salutem. Et uicissim ad Hieronymum Augustinus. Domino uenerabili ac desyderobili, sancto fratri & compresbytero Hieronymo Augustinus in Domino salutem. Et ad alium minus notæ sanctitatis sic ait. Domino beatissimo & merito uenerando fratri & consacerdoti Præsidio Augustinus in Domino salutem. Quinimmo & ad hæreticos, propter sacramentorum eorundem communionem, fraternæ charitatis titulos perscripsit, ut est uidere in quàmplurimis ad Donatistas libris & epistolis. Sic enim ait. Dominis dilectissimis & merito prædicandis fratribus Glorio, Eusebio, Fœlici &c. Item. Desyderabili 21 Sanctitas officij.

& dilecto fratri Emerito Augustinus. Item. Domino eximio, meritoq; suspiciendo & dilectissimo fratri Eusebio Augustinus.

22 Si ergo B. Augustinus non dedignatus est fratres uocare hæreticos manifestos & ab Ecclesia præcisos, cur nos timeamus uocare fratres nostros & eiusdem matris Ecclesiæ membra Christianos peccatores? Quis enim nostrum à peccato immunis est? Ait enim prædilectus Christi discipulus. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & ueritas in nobis non est. Et Iob uir simplex & rectus, Ecce (inquit) qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in angelis suis repperit prauitatem, quanto magis hi qui habitant domos luteas? Et infra. Vere scio quod ita sit, & quod non iustificetur homo, compositus Deo. Item. Quid est homo, ut immaculatus sit, & ut iustus appareat natus de muliere, Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis, & cœli non sunt mundi in conspectu eius, quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem? Item. Ecce luna & non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius, quanto magis homo putredo, & filius hominis uermis.

Nemo sine peccato. — 1. Ioh. 1. — Iob. 4. — Iob. 9. — Iob. 15. — Iob. 25.

23 Quemadmodum igitur Ecclesia catholica recte & pie dicitur sancta, quamuis in ea multi sint non sancti sed peccatores & mali ac prophani, impij, scelerati: Ita etiam dicitur ipsa recte & pie corpus Christi, regnum Christi, hæreditas Christi. Quamuis enim peccatores aut impij secundum se non sint corpus, regnum aut hæreditas Christi, ipsi tamen iustis & pijs in Ecclesia uel officiorum administratione uel sacramentorum communione sociati & admixti, non impediunt nec prohibent, Ecclesiam propter iustos & pios dici sanctam, dici corpus, regnum, hæreditatem, sponsamq; Christi. Non oportet igitur peccatores ab Ecclesia excludi, propter hoc quod dicitur regnum & corpus Christi, sicut uane ac hypocritice contendit Philippus, alioqui prorsus incerta fieret nobis Ecclesia. Non enim scimus corda hominum, ut Deus, nec scimus quisnam hic uere iustus aut sanctus sit.

24 Vana est igitur hæc Vualdensium Hussitarumq; & Lutheranorum superbia, impudensq; præsumptio, qua Ecclesiam in hac uita ex solis sanctis congregant, de occulta sanctitate sua impie & pharisaice, contra fraternam charitatem, superbientes apud semetipsos, in corde suo dicentes, Nos Ecclesiæ Dei membra sumus, non Papistæ, non Romani, non Galli, non Hispani, non alij deniq;, nisi qui tales sunt quales nos sumus. Et instar Pharisæi gratias Deo agunt, quod non sunt sicut cęteri homines, præsertim uelut Papistæ, qui in tenebris

ambulant,

ambulant, & antiquo iure ac consuetudine, more patrum suorum, Papæ obediunt, & Ro. Ecclesiæ adhærent, uerbo Dei nondum illuminati, sicut ipsi illuminatos se putant. Si non est hæc, Imperator, omnium Lutheranorum communis sententia occulte in cordibus eorum, uanus sim & mendax. Quoties enim ingratitudinem ob hoc Germanis exprobrat, ac dira etiam atque interitum minatur eis Lutherus, quod tantam Euangelij sui lucem non cum debita reuerentia & gratiarum actione suscipiunt, quando nunc clarius à Lutheranis prædicetur Euangelium quàm etiam Apostolorum temporibus prædicatum fuerit. Quanquam uero Philippus astutius in hypocrisi sua hanc superbiam nostrique damnationem & contemptum occultet, longa uerborum ambage modestiam præseferens, reipsa tamen idem sentit quod Lutherus & alij eius complices. Id quod uerba ipsius tacite insinuant. Sic enim ait. *Luth. in Ser. de destructione Ierusalem.*

Quare etiamsi uindicant sibi aduersarij nomen Ecclesiæ, tamen nos sciamus Ecclesiam Christi apud hos esse, qui Euangelium Christi docent, non qui prauas opiniones contra Euangelium defendunt. Et infra. Ecclesia (inquit) non est tantum societas externarum rerum ac rituum, sicut aliæ politiæ, sed principaliter est societas fidei, & spiritus sancti in cordibus. Quæ tamen habet externas notas, ut agnosci possit, uidelicet puram Euangelij doctrinam, & administrationem sacramentorum consentaneam Euangelio Christi. Et hæc Ecclesia sola dicitur corpus Christi. Item. Et in hanc (inquit) sententiam multa leguntur apud patres. Hieronymus enim ait, Qui ergo peccator est aliqua sorde maculatus, de Ecclesia Christi non potest appellari, nec Christo subiectus dici &c. *Verba Phil. in Apologia.*

Hic audis, Imperator, Ecclesiam Christi apud hos esse qui Euangelium Christi docent. Si hic interroges, qui nam sint isti, procul dubio Lutheranos indicabit, qui se hac ratione Euangelicos uocant, quos Lutherus docet sic nobis insultare, Euangelium Euangelium, si forte audiant nos dicere, Ecclesia Ecclesia. Etenim dum secta ista recens adhuc esset & modica, nimis ridiculum uidebatur, si eam dicerent Ecclesiam Christi quæ per orbem terrarum dilatata est. Vt igitur Ecclesiæ autoritatem eluderent, opponebant ei Euangelium, quod de subtus scamno in lucem se produxisse iactitant, adeo ut clarius nunc prædicetur ab ipsis quàm temporibus Apostolorum prædicatum fuerit. Et contra Ecclesiam dicebant, Certum est, in manu Ecclesiæ aut Papæ prorsus non esse, statuere articulos fidei, imo nec leges morum 25 *Luth. de abrogan. missa pri.*

Luth. in assertione art. 27. & 29. seu bonorum operum. Item. Via nobis facta est, eneruandi autoritatem Conciliorum, & libere contradicendi eorum gestis, & iudicandi eorum decreta, & confidenter confitendi quicquid uerum uidetur, siue probatum siue reprobatum fuerit à quocunque Concilio.

Posteaquàm uero secta hæc magis inualuit in plerisque Germaniæ oppidis, arrogantior inde facta, Ecclesiæ nomen Catholicis nobis eripere sibique arrogare cœpit, & dixit. Ideo signum, quo cognoscitur certissimum, ubi Ecclesia sit, est uerbum Dei. Non enim uerbum Dei est, quia Ecclesia dicit, sed quia uerbum dicitur, ideo Ecclesia est. Ipsa non facit uerbum, sed fit uerbo. Unde ergo sciemus, ubi sit ecclesia, nisi audierimus prophetiam eius & testimonium spiritus? Hinc iam tacite concludunt, apud se, non apud Papistas (ut nos uocant) Ecclesiam esse. Spiritum enim & prophetiam sibi maxime arrogant. Lutherus enim de spiritu ita iactitat sese & ad Senatores ciuitatum & contra Suermeros suos, ut dicat se ultra omnes in spiritu fuisse, idque reipsa demonstrasse. Et in Teuthonica assertione ait, si nō sit propheta, Papistis tamen timendus sit ut propheta, quia certus sit, apud sese, non apud illos, uerbum Dei esse. Sic & Philippus eius hic ait, Ecclesiam Christi esse apud hos qui Euangelium Christi docent, tacite subinferens, non apud Papistas, sed apud suos, & Ecclesiam Christi esse & Euangelium doceri.

Idem de abroganda missa.

26 *Tertul. de præscrip. hæreti.* Iam satis constat uel ex antiquissimo autore Tertulliano, omnes retro hæreticos suam de Euangelio & sacris literis commendasse ac iactitasse doctrinam. Unde enim sua probarent aut populo suaderent nisi ex Euangelio & scriptura sacra? At pulchre docet illis omnibus & singulis dicendum esse. Qui estis? Quando & unde uenistis? Quid in meo agitis non mei? Mea est (inquit ecclesia Catholica) olim possessio, habeo origines firmas & ipsis autoribus, quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum, Sicut cauerunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adiurauerunt, ita teneo. Vos certe exhæredauerunt semper & abdicauerunt, ut extraneos, ut inimicos &c.

27 *Omnes hæretici de Euangelio sese iactitant.* Sicut igitur Lutherani nunc, & post eos Suermeri & Anabaptistæ, de Euangelio sese iactitant, seque hinc ueram ecclesiam esse gloriantur. Ita fecerunt ante eos Husitæ, Uiclephistæ, Ualdenses, Donatistæ, Apostolici, Angelici & omnes omnium ætatum hæretici, infœlicia de grege hircorum pecora, quæ computruerunt in stercore suo, & euanuerunt in uanitatibus suis. De quibus dicit Propheta. Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani, Et transiui, *Psal. 36.*

& ecce

& ecce non erat, Quæsiui eum & non est inuentus locus eius. Quis enim nunc locus est in ecclesia Donatistis? quis Arrianis? quis Pelagianis? quis Vuiclephistis? quis armatis & bellicosis Albigensibus & Taboritis? quis alijs hæreticis? Exultant quidem & insultant etiam nunc Lutherani, & soboles eorum Zuingliani & Anabaptistæ, sed post breue tempus dicet uictrix mater ecclesia de eis, quod per Prophetam de alijs iam supra dixit hæreticis, Fundata est enim super firmam petram, cui portæ inferi præualere non poterunt.

Quid enim respondere queant istæ inferorum portæ, Lutherani, si M. T. interroget eos, Qui estis? Quando & unde uenistis? Si dicant, Christiani sumus, annos nati XIIII. & uenimus è Vuittenberga. M. T. ulterius interroget, Vbi facti estis Christiani? num in Lutheri ecclesia nouella? Ipsi uero ante annos XXX aut XL renati sunt in eadem nobiscum ecclesia, quando Lutheri nomen orbi prorsus incognitum erat. Non igitur à Luthero sed à Papistis baptizati & Christiani facti sunt. Quomodo igitur in matrem suam, quæ eos regenerauit in Christo, conuertunt dentes suos, instar uiperarum, ut eam schismate dirumpant? Vnde habent hæreditatem Christi? unde possessionem Euangelij? nonne à Papistis? Cur igitur ea possessione reiecta, aliam, quam à parentibus non habent, inuadunt & usurpant? Qua autem successione Ecclesiæ corpus & Christi hæreditatem sibi arripiunt? Vnde eam habet Lutherus? ab Husso? at non conuenit ei per omnia cum illo. A Vuiclepho? & hunc quoq; damnat hic Philippus. Vnde igitur usurpatæ hæreditatis probat successionem? Neminem habet, cui per omnia consentiat, nouus homo est, sectæ suæ parentes certos non habet, spurius nothus & uulgo conceptus, sine patre, sine origine certa, & in matrem suam maxime impius & ingratus. 28

DE ECCLESIA ROMANA.

AT si quæras ex Papa, quo iure habeat successionem & possessionem suam in hæreditate Christi? pulcherrime sane & uerissime respondere poterit, quod nullus hæresiarcha, nulla secta, nulla gens uere dicere queat, se legitima electione & iure approbato uocatum esse in sedem B. Petri Apostoli, cui Christus oues suas commisit & claues regni cœlorum cum plena potestate tradidit. Et ius suum demonstrare potest ex longissima serie ac certissima successione suorum antecessorũ, non sane unius duorumue 29

Ius Papæ certissimum.

aut

aut trium duntaxat sed ducentorum & triginta. Lutherus uero nouus Germaniæ Papa ne tres quidem continua serie antecessores suos posset indicare, immo nullum penitus, sed mera uiolentia & inuasio est, quicquid iuris rebellione sua & nouarum rerum cupidæ multitudinis temeraria adhæsione sibi usurpat.

30 Papa autem ius hæreditatis suæ habet & comprobat ex certa & legitima succesione, qualem profecto nulli alij Prælati, nulli Duces, nulli Reges, ne Imperatores quidem assignare possunt. Quæ est enim alia seu naturalis seu electiua succesio, in toto orbe terrarum, adeo certa & diuturna, quæ absq; status & Iurisdictionis uarietate, per M.D. annos uno perpetuoq; tenore connumerare posit antecessores legitimos CC. & XXX? Talis profecto succesio antea nunquam fuit uel ab initio mundi, nec alia deinceps ulla erit. Omnia enim corruptibilia sunt super terram in hoc mundo, & omnium rerum uicissitudo est, ut Ethnici quoq; docuerunt. Et Salomon. Generatio (inquit) præterit, & generatio aduenit, Terra autem in æternum stat. Et Apostolus. Tempus enim breue est, & præterit figura huius mundi.

Eccles. 1.
1. Cor. 7.

31 Vnde est igitur una ista Ro. Pontificum tam certa, diuturna & immutabilis ac incorrupta succesio? cum alij patriarchatus iampridem defecerint sub Saracenis & Turcis, hæresibusq; persæpe contaminati fuerint? non aliunde profecto quàm ex institutione diuina, quia Deus fundauit eam usq; ad consummationem sæculi, usq; in finem, quia dixit Petro Christus Matth. xvj. Tu es Petrus, & super hãc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et Luc. xxij. Ego pro te rogaui Petre, ut non deficiat fides tua. Et Ioh. xxj. Pasce oues meas. Hæc sunt, Imperator, solida Papatus fundamenta, quæ nullæ pluuiæ loquacitatis hæreticæ, nulla schismatum flumina, nulli tyrannicarum persequutionum uenti, hactenus nec dimouere nec subruere potuerunt, nec unquam poterunt in futurum. Vnde hoc? Respondet Christus, quia fundata est domus ista super petram, Matth. vij. super uerbum Domini quod manet in æternum, Esa. xl. super ueritatem infallibilem quæ ait Matth. xxiiij. Cœlum & terra transibunt, uerba autem mea non præteribunt.

Sedes Petri incorrupta & diuinitus fundata.

32 Hac Dei ueritate fretus B. Anacletus S. Clementis in sede B. Petri successor, beatissimus Martyr & Pontifex, in tertia suarum Epistolarum sic ait. Anacletus seruus Christi Ihesu, in Apostolica sede à Domino constitutus & à sancto Petro Apostolorum principe Presbyter ordinatus, omnibus Episcopis & reliquis Christi sacerdotibus,

in Domino

in Domino salutem. Et post pauca. De primatibus charissimi, super quibus me quidam uestrum consuluerunt, si esse debeant an non, quantum hactenus de his à B. Petro Apostolo & reliquis Apostolis, & à Clemente nostro sancto Prædecessore & Martyre, nouimus statutum, denegare uobis minime possumus. Et infra. Hæc uero sacrosancta Romana & Apostolica ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino saluatore nostro primatum obtinuit, sicut ipse beato Petro Apostolo dixit. Tu es Petrus, & super hanc petram &c. Adhibita est etiam societas in eadem Ro. urbe beatissimi Pauli Apostoli, uasis electionis, Qui uno die unoq; tempore gloriosa morte cum Petro, sub Principe Nerone agonizans, coronatus, & ambo sanctam Ro. ecclesiam consecrauerunt, alijsq; omnibus urbibus in uniuerso mundo, tam sua præsentia, quàm uenerando triumphio prætulerunt. Et licet pro omnibus assidua apud Deum omnium sanctorum fundatur oratio, his tamen uerbis Paulus beatissimus Apostolus Romanis proprio chirographo pollicetur, dicens. Testis est mihi Deus, cui seruio in spiritu meo, in Euangelio filij eius, quod sine intermissione memoriam uestri facio semper in orationibus meis. Prima ergo sedes est cœlesti beneficio Ro. ecclesia, quam (ut memoratum est) beatissimi Petrus & Paulus suo martyrio consecrarunt. Hæc Anacletus Papa.

Dist. 22. c. Sacrosancta.

Rom. 1.

Sic & B. Ignatius, huic contemporaneus, ad Romanos scribens ait. Ignatius, qui & Theophorus, misericordiam consecutæ in magnitudine Dei altissimi patris Ihesu Christi unigeniti eius filij Ecclesiæ, sanctificatæ & illuminatæ in uoluntate Dei, quæ & præsidet in loco regionis Romanorum, Deo dignæ, eminentia dignæ, beatitudine dignæ, laude dignæ, fide dignæ, fundatæ in dilectione & fide Christi, paternum nomen habenti, spiritiferæ, quam & saluto &c. 33

Ignatius epist. 11. quæ ad Ro. est.

Sic proxime post istos, eorum & nostram sententiam grauissimo & pulcherrimo confirmat testimonio B. Irenæus, Martyr & Pontifex Lugdunensis, dum sic ait. Sed quoniam ualde longum est, in hoc tali uolumine, omnium ecclesiarum enumerare successiones, maximæ & antiquissimæ, & ab omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & cõstitutæ ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis, traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientem usq; ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo uel per sui placentiam malam uel uanam gloriam, uel per cæcitatem & malam sententiam, præterquàm oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter

Irenæus lib. 3. c. 3.

potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undiq; fideles, in qua semper ab ijs qui sunt undiq; conseruata est ea quæ est ab Apostolis traditio &c.

34 Aug. in Epistolis epist. 165.

Sic & B. Augustinus à certa illa succesßione Ro. Pontificum haud leue affert argumentum contra Donatistas. Euangelizatum tibi est (inquit ad Generosum Donatistam) quod Propheticas & Apostolicas literas, quod Abrahæ dictæ sunt promißiones, & semini eius quod est Christus, cum ei diceret Deus. In semine tuo benedicentur omnes gentes. Has ergo promißiones tenenti, si tibi Angelus de cœlo diceret, Dimitte Christianitatem orbis terræ, & tene partē Donati, Anathema esse deberet, quia te à toto præcidere, & in partem contrudere conaretur, & alienare à promißis Dei. Si enim ordo Episcoporum sibi succedentium consyderandus est, quanto certius & uere salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait, Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferorum non uincent eam. Petro enim succeßit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus &c. In hoc (inquit) ordine succeßionis nullus Donatista Episcopus inuenitur.

35 Non licet à Ro. Ecclesia deficere.

Iam expende nobiscū, Imperator, num dignum aut iustum sit aut æquum & salutare, deficere à Ro. ecclesia, quæ mater nostra in fide est, quæ nos per Euangelium regenerauit, quæ tot Christi & summorum Apostolorum eius Petri & Pauli totq; martyrū & apostolicorum uirorum probatißima habet ueritatis testimonia, quæ deniq; tam certa & gloriosa tot Pontificum catholicorū succeßione supra omnes Episcopatus & cathedras eminet, ac omne totius mundi regimen & imperiū longe superat. Et hac tam sancta & gloriosa matre relicta & reiecta, transfugere ad colluuiem quandā adulteram, quæ temere ex perfidis Apostatis & rebellibus seditiosisq; rusticis & ex ultima plebis fece primum collecta, per Prelatorū negligentiam potestatūq; conniuentiam ad eas sensim uires excreuit, ut optimis quibusq; certum illatura fuisset exitium ante sex annos, si confusam multitudinem dux ullus militiæ peritus in aciem eduxisset, quæ omni calcata uirtute & disciplina, uerbis Euangelica, factis diabolica est, quæ pro nihilo, immo pro peccatis habet bona opera, & operum doctrinam fidei doctrinæ contrariam facit, tanquam aduersus fidem doceat quisquis bona opera docet.

Absit igitur procul ab omnibus pijs cordatisq; hominibus, neglecta aut reiecta patrum certa & tot sæculis tot sanctorum uirtutibus & miraculis

miraculis approbata fide & religione, quam ab Ecclesia Ro. certis traditionibus uelut per manus accepimus, nouam à noua & confusa hac secta fidem aut religionem recipere, in qua impudentia uerecundia est, improbitas uirtus, rebellio disciplina, Apostasia fides, uerbositas Euangelium, bona opera peccata, mala opera baptismi recordatione statim absorpta & remissa. Absit inquam à nobis & à cunctis alijs fidelibus Christi, dimittere Ecclesiam Ro. matrem nostram, quæ in Christo Ihesu per Euangelium nos genuit, & alienigenam sequi meretricem, quæ pedes suos omni transeunti diuidit, ut ait quidam ex Prophetis. Quin dicimus confidenter cum Naboth Iezraelita, Propitius sit nobis Dominus, ne demus hæreditatem patrum nostrorum Luthero aut cuicunque hæretico alteri.

Ezech. 16.

3. Reg. 21.

Nos hanc Lutheranorum cæcam iactantiam, qua Ecclesiam & Euangelium uindicant sibi nobisque adimunt, qui Ro. ecclesiam sequimur, retundemus facile, non solum supradictis Christi Apostolorumque & Apostolicorum uirorum testimonijs, uerum etiam omnium approbatorum Conciliorum decretis, & omnium sanctorum patrum regulis & confessionibus, quæ per totum corpus Iuris Canonici latissime patent, atque etiam sacris Christianorum Imperatorum legibus quàmplurimis. Hic tamen breuitatis gratia istis omnibus omissis, proprio eos gladio, nempe Lutheri sui uerbis, apertissime conuincemus & iugulabimus. Sic enim ait.

Dist. 19. 21. 22. &c. 24. q. 1. per totum C. de summa Tri. per totum.

Quod Ro. Ecclesia sit à Deo præ omnibus alijs honorata, non est dubium. Ibi enim Sancti Petrus & Paulus, Pontifices Ro. XLVI. ac tot centena milia Martyrum, sanguinem suum fuderunt, infernum & mundum uicerunt, ut uel palpari queat, quàm singularem habeat ad eam Ecclesiam respectum Deus. Quod si nunc prohdolor ita res habet Romæ, ut expediret habere melius. Attamen neque hæc neque ulla alia causa tam grandis est, nec esse potest, ut ab Ecclesia illa separatio aut discessio ulla fieri debeat, Imo quanto peius res ibi habet, tanto magis accurrendum & adhærendum est. Per separationem enim & contemptum non fit melius. Nec dimittendus est Deus propter diabolum, nec uitandi reliqui boni propter turbam prauorum, Imo propter nullum peccatum aut malum, quodcunque excogitari aut nominari potest, debet rescindi charitas, nec spiritualis unitas diuidi. Charitas enim omnia potest, & unitati nihil nimium graue est. Modica enim charitas & unitas est, quæ sinit sese propter aliena peccata diuidi. Hæc ille Lutheranorum Papa & Propheta ante annos plus minus

36

Luth. in declaratione quorundam articulorum.

XII. Quod si hęc nimis antiqua uideantur in nouo hoc Christianismo, Ecce tibi Cæsar alia eius uerba multò recentiora, quæ ante triennium edidit in Anabaptistas, reiectiuam sobolem suam.

37 Audio (inquit) & uideo, rebaptizationem eiusmodi à quibusdam usurpari ex eo fundamento, ut in despectum Papæ faciant, tanquam ij qui nihil ab Antichristo habere uelint. Quemadmodum & Sacramentarij propterea merum panem & uinum credere uolunt, in despectum Papæ, arbitrantes se hoc pacto recte subuersuros esse Papatum. Profecto friuolum est hoc fundamentum, super quod nihil boni ædificaturi sunt. Hoc enim pacto negare eos oporteret totam quoq; scripturam sacram & prædicandi officium. Hoc enim totum à Papa nimirum habemus. Et nouam quoq; scripturam sacram nos facere oporteret. Sic & uetus testamentum nos dimittere oporteret, ne quid ab infidelibus haberemus Iudæis. Stultitia est hoc totũ. Nam & Christus in gente Iudaica inuenit pharisæorum & scribarum abusus, non tamen propterea totum reiecit quod illi habuerunt & docuerunt, Matth. xxiij. Nos autem fatemur, sub Papatu plurimum esse boni Christiani, immo omne bonum Christianum, atq; etiam illinc ad nos deuenisse, Quippe fatemur, in Papatu ueram esse scripturam sacram, uerum baptismum, uerum sacramentum altaris, ueras claues ad remissionem peccatorum, uerum prædicandi officium, uerum Catechismum, ut sunt Oratio dominica, X. præcepta, articuli fidei. Dico insuper, sub Papa ueram Christianitatem, immo uerum nucleum Christianitatis esse. Hæc ibi Lutherus Papæ & Ro. Ecclesiæ hostis.

Luth. contra Anabaptistas.

38 Vides itaq; Imperator, quàm inique agat & temerarie Philippus iste, dum conatur à nobis (quos Papistas & Papæ asinos Lutherus uocat) Ecclesiam Euangeliumq; tollere, suæq; nouellæ sectæ antiquissimum illud ius ac præscriptam longissima Ro. Pontificum successione possessionem nullo iure, sed mera loquacitate, uindicare. Quandoquidem Lutherus ipse fatetur, Ro. Ecclesiam præ omnibus alijs curæ esse Deo, & propter nullam causam ab ea discedendum esse, suosq; habere ab illa & sacram scripturam & prædicandi officium. In ea item esse plurimum boni, immo omne bonum Christianum, sub Papa deniq; ueram esse Christianitatem, atq; adeo uerum nucleum Christianitatis. Quid hinc sequitur, obsecro, Auguste? Sequitur profecto, omnes sectas, quæcunq; à Ro. Ecclesia discedunt & deficiunt sectas esse perditionis, & neq; nucleum neq; partem ullam esse ueræ Christianitatis, proinde nec Ecclesiam Christi nec eius partem. Sequitur item, nihil

boni Christiani apud tales sectas esse, quandoquidem omne bonum Christianum sub Papatu esse affirmat ipse Lutherus. Sequitur prætere, Lutheranos omnes esse iniustos, nequid grauius hic dicam, qui contra Lutheri sui leges, ab Ecclesia Ro. se diuidunt, etiam si uel maximas haberent discedendi ab ea causas. Atq; ut ipsius Lutheri ore clarius exprimam, quàm graue sit peccatum schisma istud Luthericum, referam hic M. T. ipsius in Bohemos Husiticos sententiam, qui consimili ausu à Ro. Ecclesia recesserunt.

Hi sane peruertunt (inquit) hanc doctrinam, qui uolunt onera sua portari, & solum commodis aliorum frui & uehi, ut qui indoctos, inutiles, iracundos, ineptos, difficiles, morosos, dedignantur habere socios uitæ: sed quærunt humanos, suaues, benignos, quietos & sanctos homines, Hoc est, uolunt non in terra, sed in Paradiso, non inter peccatores, sed inter angelos, non in mundo, sed in cœlo uiuere. Quibus quoq; timendum est, ne & hic recipiant mercedem suam, & in hac uita suum regnum cœlorum possederint. Nam cum sponsa nolunt esse lilium inter spinas, nec cum Hierusalem in medio gentium posita, nec cum Christo dominari in medio inimicorum. Euacuant enim crucem Christi in seipsis, & ociosam ac stertentem alijsq; humeris uectatam habent charitatem. Proinde qui fugiunt talium societatem, ut boni fiant, nihil aliud faciunt, quàm ut pessimi omnium fiant. Quod tamen non credunt, quia propter charitatem fugiunt germanum officium charitatis, propter salutem fugiunt uerum compendium salutis. Ecclesia enim tunc semper fuit optima, quando agebat inter pessimos. Horum enim onerũ tolerantia mire rutilauit eius charitas, sicut Psal. lxvij. dicit. Posteriora dorsi in pallore suo auri, Hoc est, tolerantia columbæ Christianæ (quæ per dorsi posteriora significatur) tota est rutilantissima in aurea charitate. Alioquin cur non Moyses quoq; reliquit duræ ceruicis populum? Cur non Heliseus & Prophetæ reges Israel Idolatras?

Luth. in commẽtarijs in Epistolã ad Gal. cap. 6.

Consequens est (inquit) quod Bohemorum discidium à Ro. Ecclesia nulla possit excusatione defendi, quin sit impium, & Christi omnibus legibus contrarium, quia contra charitatem, in qua omnes leges summantur, perstat. Nam hoc, quod unice allegant, sese timore Dei & conscientiæ defecisse, ne inter malos sacerdotes & Pontifices uiuerent, hoc eos maxime omnium accusat. Si enim sunt mali Pontifices, sacerdotes, aut quicunq;, & tu uera charitate ferueres, non diffugeres, sed etiam si in extremis maris esses, accurreres, fleres, mone-

 res, argueres,

res, argueres, prorsus omnia faceres, & hanc Apostoli doctrinam secutus, non commoda sed onera ferenda tibi esse scires. Itaq; claret, totam Bohemicæ istius charitatis gloriã esse merã speciem & lucem, in quam se angelus Satanæ transfigurat. Nunquid & nos, qui ferimus onera & fere importabilia monstra Ro. Curiæ, ideo fugimus & discedimus? Absit absit. Reprehendimus quidem, detestamur, oramus, monemus, sed non scindimus ob hoc unitatem spiritus, non inflamur aduersus eam, scientes, quod charitas super omnia eminet, non tantum super rerum corporalium damna, sed etiam super omnia monstra peccatorum, ficta charitas est, quæ non nisi commoda alterius ferre potest. Hæc Lutherus ipse in Galatis suis.

39 *Damnatio Lutheri ex ore eius proprio.*

Quid ad hæc modo dicent Lutherani, qui Papam angue peius oderunt, & Ro. Ecclesiam uelut Satanæ Synagogam detestantur & fugiunt? Ipsi uiderint, quando in nouissimo die Iudex de hac eorum discessione rationem exacturus est. Nos interim autori schismatis huius dicemus. De ore tuo iudicamus te serue nequam, quod sis impius desertor & transfuga, quod sis factiosus & seditiosus Apostata, quod tua discessio grauissima sit perfidia, & Christi omnibus legibus contraria, proinde prorsus inexcusabilis, quod deniq; charitatis tuæ gloria mera species & lux sit, in quam se angelus Satanæ transfigurat. Hoc interim iudicium de ore tuo accipe, Quale in extremo iudicio accepturus sis, Deo committimus. Hic certe libenter coram ex Philippo hoc eius defensore audire uelim, Cæsar, quidnam contra hoc proprium Lutheri iudicium coram M. T. dicere queat. Quantumuis enim uerbosus sit & callidus, tam manifestum tamen iudicium eludere non poterit,

40 Id quod Augustæ quoq; in Concordiæ tractatu sibi accidisse recordatur, credo, & negare non potest, quia multis conuinci posset ac magnis testibus si negaret. Etenim posteaquàm XI. articuli Confessionis eorum essent ad concordiam redacti mox primo consessu, circa duodecimum uero articulum longa nos de satisfactione moraretur contentio, urgente uespere ita discessum est, ut Philippo & mihi id negocij altero die uentilandum daretur, licet à parte Catholicorum primas inter Theologos in eo tractatu teneret D. Iohannes Eckius. Ego itaq; altero die mane attuli quædam Lutheri uerba, quæ manifeste nostræ sententiæ astipulabantur, nempe quod satisfactiones necessariæ essent ad remissionem peccati quo ad pœnam.

Ita enim ait in assertione quinti Articuli sui, Ecclesia mater, pio

affectu

affectu præuentura manum Dei, castigat filios suos satisfactionibus quibusdam, ne incurrant flagella Dei, Sicut Niniuitæ operibus suis spontaneis præuenerunt iudicium Dei. Hæc pœna (inquit) est arbitraria, non in totum, ut illi uolunt, sed tamen necessaria. At nostri Indulgentiarij, etiam contra Ecclesiam, asserunt remitti penitus omnem satisfactionem, etiam à iustitia diuina requisitam, quod est erroneum & impium. Nam aut nos aut homines aut Deus punit peccata, quod illi per indulgentias tollunt omnino &c. Sic & antea in resolutione eiusdem articuli dixerat, quod illæ tres partes satisfactionis, ieiunium, oratio, elemosyna, non pertinent ad sacramentalem pœnitentiam, quo ad substantiam factorum, quia sunt de præcepto Christi, sed pertinent ad eam, quo ad certum modum & tempus, secundum quod Ecclesia ordinauerit. Videlicet, quàm diu sit orandum, ieiunandum, dandum, Item quantum & quid orandum, quantum & quid non comedendum, quantum & quid dandum &c. *Verba Lutheri.*

Hæc uerba, cum à D. Io. Eckio coram omnibus ex scheda recitarentur, Lutherani alius alium inspexit, Philippus rubore suffusus, demissis oculis fatebatur esse uerba Lutheri. Cumque reijcere illa præ rubore non auderet, nec quid contra diceret haberet, eius pudori subueniens Illustrissimus Dux Saxoniæ Iohannes Fridericus, dicebat, Lutherum olim quidem ita scripsisse, nunc uero aliter sentire, tum Brentius & Schneppius, qui assistebant Philippo, animosiores facti, dicebant. Quid nobis de uerbis aut scriptis Lutheri hoc in tractatu? non enim hic sumus ut omnia eius uerba defendamus, sed ut de Confessione fidei nostræ uobiscum agamus. His uerbis dimissa fuit ea contentio, & ad ulteriora in Confessione processum.

Nos ergo longe tutius iustiusque credimus de Ro. Ecclesia & de Ro. Pontificis potestate, Christo, Apostolis Apostilicisque uiris & sanctis patribus, quàm contentioso huic Rhetori eiusque socijs, quorum os maledictione plenum est & amaritudine & dolo. Quandoquidem & Euangelista eorum condemnauit in plærisque libris suis talem ab Ecclesia Ro. defectionem & schisma, ut maxime de ipso dixisse credatur Apostolus, Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus. *Tit. 3.*

Inexcusabiles sunt igitur omnes Lutherani cum omnibus alijs sectis à Ro. Ecclesia discedentibus. In quos B. Cyprianus hanc fert sententiam. Nemo æstimet bonos de Ecclesia posse discedere. Triticum non rapit 41 *Cyp. de simplicitate Prælatorum.*

non rapit uentus, nec arborem solida radice fundatam procella subuertit. Inanes paleæ tempestate iactantur, inualidæ arbores turbinis
I. Ioh. 2. incursione euertuntur. Hos execratur & percutit Iohannes Apostolus dicens. Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, mansissent nobiscum. Hinc hæreses & factæ sunt frequenter & fiunt, dum peruersa mens non habet pacem, dum perfidia discordans non tenet unitatem. Fieri uero hæc Dominus permittit & patitur, manente propriæ libertatis arbitrio, ut dum corda & mentes nostras ueritatis discrimen examinat, probatorum fides integra, manifesta luce clarescat. Per Apostolum præmonet spiritus sanctus & dicit. Oportet & hæreses esse, ut probati manifesti sint in nobis. Sic probantur fideles, sic perfidi deteguntur.

42 *Lutheranorũ descriptio ex Cypriano.*

Sic & ante iudicij diem hic quoque iam iustorum atque iniustorum animæ diuiduntur, & â frumento paleæ separantur. Hi sunt qui se ultro apud temerarios conuenas, sine diuina dispositione præficiunt, qui se præpositos, sine ulla ordinationis lege constituunt, qui nemine Episcopatum dante, Episcopi sibi nomẽ assumunt. Quos designat in Psalmis spiritus sanctus, Sedentes in pestilentiæ cathedra, pestes & lues fidei, serpentes ore fallentes, & corrumpendæ ueritatis artifices, uenena lœthalia linguis pestiferis euomentes, quorũ sermo ut cancer serpit, quorum tactus pectoribus & cordibus singulorũ mortale uirus infun-
Matth. 5. dit. Et infra. Ideo & cum orandi legem daret dominus, addidit dicens. Et cum steteritis ad orationem, remittite siquid habetis aduersus aliquem, ut & pater uester qui in cœlis est, remittet uobis peccata. Et ad sacrificiũ cum dissensione uenientem reuocat ab altari, & iubet prius concordare cum fratre, Tunc cum pace redeuntem Domino munus
Gene. 4. offerre. Quia nec ad Cain munera respexit Deus, neque enim habere pacatum Deum poterat, qui cum fratre pacem, per zeli discordiam, non habebat. Quam sibi igitur pacem promittunt inimici fratrum? quæ sacrificia celebrare se credunt æmuli sacerdotum? An secum esse Christum, cum collecti fuerint, opinantur, qui extra Christi ecclesiam colliguntur? Tales etiam si occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur. Inexpiabilis & grauis culpa discordiæ nec passione purgatur. Esse martyr non potest qui in Ecclesia non est. Ad regnum peruenire non poterit, qui eam quæ regeneratura est derelinquit. Et iterum.

43 An esse sibi (inquit) cum Christo uidetur, qui aduersus sacerdotes Christi facit, qui se â Cleri eius uel plebis societate secernit? Arma ille

contra Ecclesiam portat, contra Dei dispositionem repugnat, hostis altaris, aduersus sacrificium Christi rebellis, pro fide perfidus, pro religione sacrilegus, inobsequens seruus, filius impius, frater inimicus, contemptis Episcopis, & Dei sacerdotibus derelictis, constituere audet aliud altare, precem alteram illicitis uocibus facere, dominicæ hostiæ ueritatem per falsa sacrificia prophanare, Nec scire, quoniam qui contra ordinationem Dei nititur, ob temeritatis audaciam diuina animaduersione punitur. Sic Chore & Dathan & Abyron, qui sibi contra Moysen & Aaron sacerdotem sacrificantes, licentiam uendicare conati sunt, pœnas statim pro suis conatibus penderunt. Hæc & id genus multa & terribilia Cyprianus contra hæreticos & schismaticos. *Num.16.*

44 *Malignitas Phil. in Apologia.*

Et tamen audet Philippus iste iactitare, in sententiam suam multa legi apud Patres, & nominatim citat Hieronymum, sed ita maligne, ut neq; in textu neq; in margine locum assignet, ubinam sic loquatur Hieronymus, perinde ac si Hieronymus unicum duntaxat librum scripserit. Hac nequitia (qua non docendi sed uexandi animo scribit) utitur in tota hac Apologia, atq; etiam Græcam interdum uoculam, eamq; nec tritam nec uulgo notam, absq; omni interpretatione interserit, ut Theologi seniores, quibus forte minus nota est lingua Græcanica, integram uerborum sententiam intelligere non possint, ignorata uoce græca, sine qua sensus non est integer. Quasi eo doctior existimari debeat quo à paucioribus intelligatur, Cum tamen facillimum esset, uel in margine breuem adijcere interpretatiunculam, præsertim dum accommodatissimum habeamus Chalcographiæ præsidium & facilitatem. Sed libet ei hac in causa magis uexare & irridere, quàm docere aut publico inseruire commodo. Ideo tam accurate rhetoricatur, ut nos, qui malam fidem Lutheranorum in citandis autoribus sæpe sumus experti, multo inquirendi labore magis defatigemur (dum scire uolumus, num ita habeat autor, quem citat, an secus) quàm ipsa responsione ad obiecta.

45 *Responsio ad uerba B. Hieronymi.*

Falsum est igitur, quod ait, in hanc sententiam suam multa legi apud patres. Contrarium enim ostendimus ex multis patribus, ijsq; sanctissimis & uetustissimis. Quod autem Hieronymus ait, Qui peccator est, aliqua sorde maculatus, de Ecclesia Christi non potest appellari, nec Christo subiectus dici. Hoc sane intelligi debet de Ecclesia triumphante, non de militante. Quemadmodum & uerba ipsius Pauli Ephe. v. Super quibus hanc in commentarijs expressit sententiam

ipse Hieronymus. Et hanc esse Pauli sententiam, de Ecclesia triumphante, Augustinus in plærisque contra Donatistas libris & Epistolis euidenter ostendit. De Ecclesia enim militante longe aliam protulit sententiam ipsemet Hieronymus, cum alibi, tum apertisime in Dialogo contra Luciferianos, ubi inter multa alia, hanc sententiam nostram confirmantia, sic ait.

Hiero. in dialogo cõtra Luciferianos.

Hilarius cum Diaconus de Ecclesia recesserit, solusque ut putat, turba sit mundi, neque Eucharistiam conficere potest, Episcopos & presbyteros non habens, Neque baptisma sine Eucharistia tradere. Et cum iam homo mortuus sit, cum homine pariter interijt & secta, quia post se nullum clericum Diaconus potuit ordinare. Ecclesia autem non est, quæ non habet sacerdotem, sed amissis paucis homunculis, qui ipsi sibi & laici sunt & Episcopi, ausculta, quid de omni Ecclesia sentiendum sit. Iste enim scrupulus multos titillat, & longus fortasse ero in enarrando, Verum tanti est lucrum ueritatis.

46 Arca Noæ Ecclesiæ typus fuit, Dicente Petro Apostolo. In arca

Arca Noe, typus Ecclesiæ. 1. Pet. 3.

Noæ pauci, id est, octo animæ saluæ factæ sunt per aquam, quod & nos nunc similis formæ baptisma saluos facit, Vt in illa omnium animalium genera, ita & in hac uniuersarum & gentium & morum homines sunt, Vt ibi Pardus & hœdi, lupus & agni, ita & hic iusti & peccatores, id est, uasa aurea & argentea cum ligneis & fictilibus commorantur. Et post pauca.

47 Non solum in Ecclesia (inquit) morantur oues, nec mundæ tantum aues uolitant, sed frumentum in agro seritur, & inter nitentia culta lappæque & tribuli & steriles dominantur auenæ. Quid faciat agricola? euellat lolium? sed tota pariter messis euerritur. Quotidie industria rusticana aues sonitu abigit, imaginibus exterret, hinc flagello crepitat, hinc formidines tendit, attamen aut ueloces capreæ aut lasciuus onager incurrit, hinc in effossa horrea mures frumenta comportant, hinc feruenti agmine segetem formica populatur. Ita res se habet. Nemo securus agrum possidet. Dormiente patrefamilias, inimicus homo zizaniam superseminauit, Ad quam eradicandam cum serui ire proponerent, dominus prohibuit, sibi seruans palearum & frumenti discretionem. Hæc sunt uasa iræ & misericordiæ, quæ in domo Dei ab Apostolo prædicantur. Veniet ergo dies, quando thesauro Ecclesiæ aperto, proferet Dominus uasa iræ suæ, quibus exeuntibus sancti dicent. Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. Nemo potest Christi

Matth. 13.

palmam sibi assumere, nemo ante diem iudicij de hominibus iudicare. Si iam mundata est Ecclesia, quid Domino reseruamus? Est uia quæ uidetur esse apud homines recta, nouissima autem eius ueniunt in profundum inferni. In hoc errore iudicij quæ potest esse certa sententia? Hæc & id genus multa Hieronymus pro sententia nostra de Ecclesia militante.

Vnde & in hæc ibi uerba concludit. Breuem tibi (inquit) apertamq; animi mei sententiam proferam. In illa esse ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata, usq; ad diem hanc durat. Sicubi audieris eos qui dicuntur Christi, non à Domino Ihesu Christo, sed à quoquam alio nuncupari, utputa Martionitas, Valentinianos, Montenses siue Campates, scito, non Ecclesiam Christi sed Antichristi esse synagogam. Ex hoc enim ipso quod postea instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus prænunciauit. Nec sibi blandiantur, si de scripturarum Capitulis uidentur sibi affirmare quod dicunt, cum & Diabolus de scripturis aliqua sit locutus. Et scripturæ non in legendo consistunt, sed in intelligendo. Alioqui si literam sequimur, possumus & nos quoq; nouum nobis dogma componere, ut asseramus in Ecclesiam non recipiendos, qui calciati sint, & duas tunicas habeant. Hæc ibi. 48

Campas locus apud sinum Issicum.

Et in Epistola ad Damasum multo adhuc apertius Ro. Ecclesiæ autoritatem asserit, dicens. Quoniam uetusto Oriens inter se populorum furore collisus, in discissam Domini tunicam, & desuper textam, minutatim per frusta discerpit, & Christi uineam exterminant uulpes, ut inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficile, ubi fons signatus & hortus ille cōclusus sit, possit intelligi. Ideo mihi cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam, censui consulendam. Inde nunc animæ meæ postulans cibum, unde olim Christi uestimenta suscepi. Neq; uero tanta uastitas elementi liquentis & intraiacens longitudo terrarum, me à preciosæ margaritæ potuit inquisitione prohibere. Vbicunq; fuerit corpus, illuc congregentur aquilæ. Profligato à sobole mala patrimonio, apud uos solos incorrupta patrum seruatur hæreditas. Ibi cespite terra fœcundo, dominici seminis puritatem, centeno fructu refert: Hic obruta sulcis frumenta in lolium auenasq; degenerant. Nunc in Occidente sol iustitiæ oritur, in Oriente autem Lucifer ille qui ceciderat, supra sydera posuit thronum suum. Vos estis lux mundi, uos sal terræ, uos uasa aurea & argentea: hic testacea uasa uel lignea, uirgam ferream & æternum operiuntur incendium. 49

Incorrupta patrum hæreditas Romæ.

Quanquam igitur tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas. A sacerdote uictimã salutis, à pastore præsidiũ salutis ouis flagito. Facessat inuidia, Romani culminis recedat ambitio, cum successore piscatoris & discipulo crucis loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunq; extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. Siquis in Arca Noæ non fuerit, peribit, regnante diluuio. Hæc & id genus præclara plurima sunt B. Hieronymi de Ro. Ecclesia testimonia, quæ procul dubio maioris sunt & fidei & ueritatis quàm conuitiosa & superba blateramenta Lutheranorum, qui sibi nomen, non à Christo sed à Luthero imponunt.

50 *Autoritas Ro. Ecclesiæ.* Eat nunc Philippus, & obijciat nobis uerba Hieronymi, quem uidet tot modis consentire Ro. Ecclesiæ, & ad eam confugere, uelut ad Cathedram Petri, ad fidem Apostolico ore laudatam, uelut ad petram refugij, ad incorruptam patrum hæreditatem, uelut ad lucem mundi, ad sal terræ, ad aurea & argentea uasa in domo Dei. Id quod maximi & optimi quiq; Doctores Ecclesiæ tum Græci tum Latini semper fecerunt, scientes probe, in summis & maximis Concilijs, Niceno, Ephesino, Chalcedonensi &c. decretum fuisse, ut ad Ecclesiam Ro. tanquam ad caput & matrem omnium ecclesiarum primamq; sedem arduæ quæuis causæ tum fidei tum Episcoporum, referri & ab ea dijudicari debeant. Ita fecerunt Græci in Oriente & Aegypto Athanasius, Cyrillus, Flauianus &c. Ita Latini in Aphrica & Italia, in Gallijs & Hispanijs Aurelius, Ambrosius, Augustinus &c.

Qua de re extant sane quàm amplissima & inuictissima testimonia hoc tempore nostro conscripta contra hanc Lutheranorum discessionem apud Episcopos Roffensem in Anglia, Vienensem in Germania, Item apud eruditissimum Card. Caietanum & apud Iohannem Eckium, in tribus præsertim libris quos de primatu Petri contra Lutherum edidit. Et longe ante eos, contra Græcos & Armenos schismaticos, adduxerunt irrefragabiles testes S. Thomas Aquinas & Richardus Armacanus Hiberniæ Archiepiscopus.

51 *Obediẽtia Græcorũ erga Ro. ecclesiam.* Et constat illos in Concilio Florentino ante annos centum sub Eugenio IIII. unanimiter cum Latinis, in hæc uerba conclusisse. Diffinimus sanctam Apostolicam sedem & Ro. Pontificẽ in uniuersum orbem tenere primatum, & ipsum Ro. Pontificem successorem esse beati Petri principis Apostolorum, & uerum uicarium Ihesu Christi,

totiusq;

totiusq; Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum patrem & doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi & gubernandi uniuersalem Ecclesiam à Domino Ihesu Christo plenam potestatem traditam esse. Quemadmodum & in gestis Oecumenicorum & in sacris Canonibus continetur. Hæc ibi. Et in hanc sententiam multi magniq; Græcorum doctores & sancti Patres adducuntur testes, tum à supradictis uiris, tum à plærisq; alijs.

Certe contra omnia Lutheranorum in Ro. Pontificem conuitia uel unus Chalcedonensis Concilij Canon satis ualidum præbet præsidium, qui sic habet. Si quis Episcopus prædicatur infamis, liberam habeat sententiam appellandi ad beatissimum Episcopum antiquæ Romæ, quia habemus Petrum petram refugij, ut ipsi soli libera potestate loco Dei sit ius discernendi Episcopi criminati infamiam, secundum claues à Domino sibi datas, Et omnia ab eo diffinita teneantur, tanquam à uicario Apostolici throni. Aut illud B. Lucij Papæ & Martyris testimonium, dicentis. Hæc sancta & Apostolica mater omnium ecclesiarum Christi Ecclesia, per Dei omnipotentis gratiam, à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur, nec hæreticis nouitatibus deprauanda succubuit, sed ut in exordio normam Christianæ fidei percepit, ab autoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata fidetenus manet.

Vide. 2. q. 6. c. Ideo. c. Qui se c. Siquis Epūs. Vide itē epistolas Athanasij ad Iulium, Liberium, Fœlicem &c.

In Decretis. 24. q. 1. c. à recta.

Hæc Cæsar prolixiora fortasse sunt quàm M. T. audire libeat, Veruntamen neq; sine causa neq; absq; necessitate dicũtur. Scio enim quantum periculi sit, ab Ecclesia Ro. deficere aut discedere. Etenim S. Thomas contra Græcos & Armenos probat ex B. Cyrillo, quod subesse Ro. Pontifici sit de necessitate salutis. Ait enim Cyrillus in libro Thesaurorum. Itaq; fratres si Christum imitamur, ut ipsius oues uocem eius audiamus, manentes in Ecclesia Petri, & non inflemur uento superbiæ, ne forte tortuosus serpens propter nostram contentionem nos eijciat, ut Euam olim de Paradiso. Et Maximus in Epistola Orientalibus directa, dicit. Coadunatam & fundatam super petram confessionis Petri dicimus uniuersalem Ecclesiam, secundum diffinitionem Saluatoris, in qua necessario salutis animarum nostrarum est remanere, & ei obedire, suam seruantes fidem & confessionem. Et in eandem sententiam multa superius recitata sunt ex Anacleto, ex Irenæo, ex Cypriano, ex Hieronymo &c. qui spiritu sancto inspirati locuti sunt (ut ait S. Petrus) sancti Dei homines. Quos utiq; libentius ac securius audit, & multo potius quàm Lutheranorum in

52 Sub necessitate salutis tenemur obedire Ro. ecclesiæ.

2. Pet. 1.

Papam & Ro. Ecclesiam calumnias & conuitia, quisquis non est ad æternum gehennæ incendium à Deo præscitus nec in reprobum sensum traditus.

De hoc igitur summo & maximo atque etiam latissimo animarum periculo longe maior nobis est, Imperator, cum Lutheranis contentio quàm de septimo Confessionis eorum articulo, de quo tam multa profundit inaniter uerba Philippus in Apologia sua, cum non ignoret, quàm facile super eo cesserit & consenserit nobis Augustæ in concordiæ tractatu. De hoc autem animarum periculo, quod ex impio & scelerato hoc Lutheranorum schismate tot milibus hominum certissime imminet, ne unum quidem uerbum in Confessione sua protulit.

53 *Calumniæ.* In Apologia uero nequiter calumniatur & nos & Ro. Pontifices: hos sane, quod eis magis curæ sit dominatio sua quàm Euangelium Christi, quod plærique sint palam Epicurei, quod multi etiam palam irrideant religiones omnes, Quotusquisque (inquit) curat Euangelium, aut iudicat dignum esse lectione? Aut siquid probant, probant illa quæ humanæ rationi consentanea sunt, cætera fabulosa esse arbitrantur, & similia Tragœdijs Poetarum. Nos uero ait definire, quod Papa sit dominus totius orbis terrarum, omnium regnorum mundi, omnium rerum priuatarum & publicarum, quod habeat plenitudinem potestatis in temporalibus & spiritualibus, quod habeat utrunque gladium, spiritualem & temporalem &c. Quæ sane omnia malicioso astu mendaciter ad M. T. commemorat, ut nos odibiles, suos uero acceptabiles hac nequitia sua reddat, tanquam nos Imperatori ius suum adimamus, & Ro. Pontifici cuncta tribuamus, Lutherani uero Imperatoris & regum iura contra Papam asserant. Nos uero scimus Auguste, quanto sublimior sit mens tua cunctis rebus & honoribus terrenis, ut huiusmodi fraudulentis palpationibus minime possit uel moueri uel circumueniri. Scimus quàm continentes habeamus manus à rapiendis aut inuadendis alienis & rebus & iuribus.

54 *In Decretis dist. 8. c. 1.* Nec adeo sumus ignari sacrorum Canonum, ut contra eorum sanctiones per adulationem tribuamus Ro. Pontifici quod Ro. Imperatoris est aut Regum. Scimus enim à S. Augustino dictum esse, Iure humano defendi uillas Ecclesiæ, Ius autem humanum haberi in legibus regum, & iura humana esse iura Imperatorum. Quare? quia ipsa iura humana per Imperatores & rectores sæculi Deus distribuit generi humano. Item, Tolle iura Imperatorum, & quis audet dicere, hæc

uilla est mea, meus est iste seruus, mea est hæc domus? Nec latet nos insignis ille Decretorum Canon ex B. Ambrosio recitatus. Noli grauare te Imperator (inquit) ut putes te in ea quæ diuina sunt Imperiale ius aliquod habere. Noli te extollere, sed si uis diutius imperare, esto Deo subiectus. Scriptum est, Quæ Dei, Deo, quæ Cæsaris, Cæsari. Ad Imperatores palatia pertinent, ad sacerdotes Ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium ius cōmissum est, non sacrorum. Et infra. Tributum Cæsaris est, non negatur. Ecclesia Dei est, Cæsari utiq; non debetur, quia ius Cæsaris esse non potest templum Dei. Ait præterea Vrbanus Papa. Quod in ore piscis inuenitur, pro Petro & Domino dari iubetur, quia de exterioribus ecclesiæ, quod constitutum antiquitus est, pro pace & quiete, qua nos tueri & defensare debent, Imperatoribus persoluendum est. Et Nicolaus Papa I. ad Michaelem Imperatorē. Cum ad uerum uentum est, ultra sibi nec Imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium usurpauit. Quoniam idem mediator Dei & hominum homo Christus Ihesus, actibus proprijs & dignitatibus distinctis officia potestatis utriusq; discernit. Item Innocentius III. uir sanctus & eruditus, ad Imperatorem Constantinopolitanum, in Decretalibus. Nosse (inquit) debuerat Imperialis sublimitas, quod fecit Deus duo magna luminaria in firmamento: luminare maius, ut præesset diei, & luminare minus ut præesset nocti. Vtrunq; magnum, sed alterum maius. Ad firmamentum igitur cœli, hoc est uniuersalis Ecclesiæ, fecit duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt, Pontificalis autoritas, & regalis potestas. Sed illa quæ præest diebus, id est spiritualibus, maior est: quæ uero carnalibus, minor &c.

23. q. 8. Conuenior.

Ib. c. Tributū.

Dist. 96. c. Cū ad uerum.

Ex. de maioritate & obed. c. Solitæ.

Nos igitur regiæ & Imperiali potestati nihil detrahimus, Neq; tamen seditiosis & impijs Lutheranorum scriptis (quibus Ro. Pontifici alijsq; Episcopis & Prælatis ius suum totamq; Iurisdictionem in totum adimunt, & sæcularibus, quibus contra Clerum maliciose adulantur, omnia tribuunt) aut tui Cęsar ullius aut Regum aut Principum metu consentimus, sed uia cupimus incedere regia, non ad dextram neq; ad sinistram declinantes, sed absq; respectu personarum libere quod uerum est confitentes, nempe in spiritualibus & Ecclesiasticis rebus summam esse potestatem Ro. Pontificis. In sæcularibus uero & prophanis summam esse potestatem Ro. Imperatoris, ut iuxta doctrinam Apostoli, Reddamus omnibus debita, cui tributum, tributum: cui uectigal, uectigal: cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.

Rom. 13.

Philippus

55 Philippus uero seditiose spoliare nititur Ro. Pontificem suprema in terris potestate, quam Græco uerbo Anypenthynon uocat, hoc est, (licet ipse non interpretetur) non subditam seu obnoxiam ulli iudicio. Et regni eius ait habere illum autores, non solum Canonistas, sed etiam Danielem cap. xj. Hic uult ingeniosus uideri, dum facete per autorem ex Papa Antichristum, & ex Papatu regnum Antichristi facere conatur, ut Philippica scilicet interpretione Papa sit ille rex, apud Danielem, qui faciet iuxta uoluntatem suam, & leuabitur & magnificabitur aduersus omnem deum, & aduersus deum deorum, loquetur magnifica, & dirigetur, donec compleatur iracundia.

56 Sic cliens eius Lutherus, ex Daniele colligit XII. facies Antichristi Romani, & sedem eius execratur & detrudit ad ima Tartara, & quamuis plærunq; iactitet, se melius scripsisse de seculari potestate quàm ullus unquam scripserit, eo quod gladio eius etiam Papam & omnem Clerum subijcit, & gestit alicubi lauare manus suas in sanguine corũ: reuera tamen seditiosissime in utranq; potestatem inuectus, utranq; sustulit, non solum in sua Babylone, ubi omnes omnium hominum leges lege noua tollit & abrogat, uerum etiã in eo libello, quem uult esse optimum, de sæculari potestate, ubi sic habet. Ad regnum mundi aut subtus legem pertinent omnes qui non sunt Christiani. Inter Christianos uero neq; debet neq; potest ulla esse maioritas, sed unusquisq; alteri æqualiter subditus est, sicut ait Paulus Rom. xij. Vnusquisq; alterum pro suo superiore teneat. Item, Inter Christianos non potest esse gladius. Eo igitur super & inter Christianos uti non potes &c. Sed & Ro. Imperij à Græcis ad Germanos translationem inter opera connumerat Antichristi, uelut portentum principale & maximum.

Luthe. contra Catharinum.
Idem ad nobil. Germa.
Idem contra Epitomen syl.
Luthe. contra Catharinum.

57 Non parua est igitur quæstio, Cæsar, de Ecclesia, siue Romanam siue Catholicam intelligas ecclesiam, Nam de utra exieris, animæ tuæ detrimentum facis. Inseparabiles enim sunt, perinde atq; caput & corpus. Non uiuit sine capite corpus, nec sine corpore caput. Nemo igitur de catholica est Ecclesia, qui à Ro. ecclesia separatur aut exit. Nulla ergo salus, nulla spes regni cœlestis esse potest ijs, qui Ro. ecclesiam dimittunt, reijciunt, contemnunt, impugnant, blasphemant. Ipsa est enim inseparabile ac maxime uenerabile membrum Ecclesiæ catholicæ. Ad quod sane presidium & caput uelut ad petram refugij omnes sancti, exoriente aliqua hæresi, confugerunt, & fidei causas ad eam retulerunt. Petro enim primo Ro. ecclesiæ Episcopo Christus commisit oues suas pascendas, fratresq; confirmandos, & dixit, Tu es Petrus

& super

& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Quisquis igitur non uult pasci à Petro aut eius successore, is non est ouis Christi, nec pertinet ad ouile Christi, quod unum est & indiuisum, quemadmodum & unus pastor Iohan. x. Et una est Ecclesia, una columba Cant. vj. una Christi sponsa Ioh. iij. Principatum uero Petri X. scripturæ locis probat Episcopus Roffensis, ac totidem exemplis, ubi Petrus factis & re ipsa suo principatu est usus. Epũs Roffen. contra 25. articulum asser. 58

Eundem deinceps in successoribus eius principatum agnouit hactenus per M. D. annos uniuersa Ecclesia Christi, non solum tacito consensu omnium Christi fidelium, nemine reclamante, uerumetiam expressis decretis & constitutionibus tum sacratissimorum Conciliorum Niceni, Chalcedonensis, Constantinopolitani &c. tum orthodoxorum Imperatorum. Hoc est enim initium legum Imperialium in Codice Iustiniani. Imperatores Gratianus, Valentinianus & Theodosius AAA. ad populum urbis Constantinopoleos. Cunctos populos, quos Clementiæ nostrum regit Imperium, in tali uolumus religione uersari, quam diuinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio usque adhuc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret. C. de summa trini. L. I.

DE ECCLESIA LVTHERANA.

59 *Quales sunt, qui Ro. Ecclesiam deserunt.*

QVid hinc sequitur, obsecro, Religiosissime Imperator CAROLE? sequitur profecto, cunctos populos, qui in Ro. Ecclesiæ fide & religione non uersantur, esse sine omni spe salutis, esse in statu æternæ damnationis, esse non oues Christi sed hircos Diaboli, esse impios in Deum, in Christum, in Ecclesiam, in supremas Ecclesiæ potestates Ro. Pontificem & Ro. Imperatorem, esse rebelles & seditiosos subditos, esse perfidos castrorum Ecclesiæ desertores, esse periuros Christianæ militiæ transfugas, breuiter filios perditionis & titiones æterni incendij. Causas omnium istorum supra ad longum recitatas audisti ex uerbis Christi, Anacleti, Irenæi, Cypriani, Hieronymi, Augustini &c. Quibus utiq; magis credent filij regni quàm impijs his Ecclesiæ spurijs & amarulentis fratrum accusatoribus, qui mentiri non erubescunt.

60 In hac tot animarum perditione maxime reus comperitur iste Philippus, qui plurimos à Romana Ecclesia abalienauit & seduxit, tum alijs libris & prælectionibus suis, tum uero præcipue in petulantissimo suo Didymo, ubi de causa Pontificia conuitiatur uerius quàm orat.

61 Post argumenti enim propositionem tanta scurrilitate usus est in tota illa oratione, ut etiam Victorem Papam & Martyrem sanctissimum ausit reprehendere, & Antichristi præludia imputare. Retudit hanc eius improbitatem Radinus Todischus insigni quadã oratione, & ego particulatim respondi hac de re & reprehendi mendacia eius lxxvij. calumnias lx. blasphemias xl. ut minime opus existimem, hic ad impietates illas denuo confutationem aliam exhibere. Id modo dixerim, hunc humanarum literarum professorem, non modo contra humanitatem, uerum etiam contra honestatem omnemq; pietatem & religionem Christianam barbarissime in ea oratione sua aduersus Papam, summum Pontificem & ouium Christi pastorem debacchatum esse, atq; etiam seditiose in sanguinem eius fundendum inuitasse Principes, ad exemplum Iehu regis Israel, qui occidit sacerdotes Baal.

Libet

Libet itaq; hic pauca quædam Radini uerba ad M. T. Cæsar re- 62
citare, quæ sententiam nostram confirmant, & damnationem omni- Radinus cõtra
um Lutheranorum æternam certius declarant. Et tamen uidebatis Phil. Melan.
(inquit) Principes, quo iste uultu diceret, In quo sicut nulla uirilis species, nullus probitatis pilus cernitur: ita religio nulla, nulla pietas eluceret. Qua confidentia? Gigantea, Diabolica, & ut omnia uno uerbo scelera comprehendam, Lutherana. Sed iterum audite quid diceret. At nos, inquiebat, de iure quærimus, num diuino iure oporteat Romano Pontifici seruiamus, Quo cum non cogamur, quid obstat, quo minus Papæ quod dedimus ius adimamus? Hæc ille, inscienter quidem & plane stolide. Nam si de iure quærunt, de iure responsum est. Num diuino iure oporteat? omnino oportet eo ipso diuino iure Christianos omnes Pontifici maximo parere, si spiritus sanctus in Niceno Concilio, in Chalcedonensi, in Lugdunensi, in Florentino, in sexcentis alijs, spiritus extitit ueritatis. Quo cum non cogamur, immo diuinis legibus cogimur, Sed Lutherani non legibus sed cathenis constringendi sunt. Quid obstat? ineluctabile diuinæ uoluntatis pondus. Quoniam non est sapientia, non est p udentia, non est consilium contra Dominum. Quo minus Papæ quod dedimus ius adimamus. En uobis Principes maximum ex furiosis his uerbis argumentum, non ex hominibus hunc principatum pontificium pendere, propterea quod Lutherani hoc tempore non possunt, neq; aliquando tot hæretici ac uiolentissimi Tyranni potuerunt, neq; unquam, etsi totus coniuraret orbis, homines poterunt potestatem hanc euertere. Ea profecto ratione, quoniam non homines sed illam Deus instituit. Hæc Radinus.

Maxima est igitur nobis Germanis Imperator & iustissima aduer- 63
sus Lutheranos querela, tum propter maximam & sanctissimam Ecclesiam Ro. matrem nostram, quæ per Euangelium in Christo Ihesu nos genuit, & à qua Christianismum, Euangelium, sacramenta & omnia bona (ipsomet faciente Luthero) habemus, quam illi spurco & impio ore Satanæ synagogam uocant: tum propter Ecclesiam catholicam, quam summa cum iniuria spoliant quinq; sacramentis & hæreditate Christi, quæ est ab ortu solis usq; ad occasum & usq; ad terminos terræ, ipsi autem eam contrahunt ad quosdam Germaniæ angulos, in quibus ipsi prædominantur.

Sed & Mathematicam quandam ex ea faciunt Ecclesiam, abstra-

Eccleſia Mathematica. Luth. de abro. miſſa. Idem in aſſer. art. 27.

ctam ſcilicet à loco & perſona, ut ſit ſolummodo in ſpiritu, neq; uidens neq; audiens, quam & nos neq; uidere neq; audire ſed credere tantum poſsimus. Hæc enim ſunt uerba Lutheri. Quis Eccleſiam illam nobis monſtrabit, cum ſit occulta in ſpiritu, & ſolum credatur. Hinc ergo inferunt, in manu Eccleſiæ aut Papæ prorſus non eſſe, ſtatuere articulos fidei, immo nec leges morum ſeu bonorum operum. Cum tamen conſtet, rectius dicere Chriſtum, Dic eccleſiæ, ſi eccleſiam non audit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus. Et Paulum, qui uocat eam domum Dei, columnam & firmamentum ueritatis.

Matth. 18. 1. Timo. 3.

Eccleſia Platonica.

Mere Platonicam inſuper (licet id neget Philippus) ex Eccleſia ciuitatem faciunt, quæ ſanctorum tantum congregatio ſit. Sicut enim nuſquam reperitur in terris ciuitas ulla ſecundum formam Reipub. à Platone traditam, licet optima uideretur, ſiqua eſſet aut eſſe poſsit. Ita & nulla reperitur in terris Eccleſia, quæ ſanctorum tantum congregatio ſit, ſed in omni Eccleſia reperiuntur ſancti & peccatores, boni & mali, ſicut Chriſti parabolæ clare indicant de tritico & zizania in eodem agro. De piſcibus item bonis & malis in eadem ſagena. Licet enim optima eſſet Eccleſia, in qua tantum ſancti & boni ſint, Qualis profecto eſt Eccleſia triumphans in cœlis, quæ neq; maculam neq; rugam habet ullam. In terris tamen nulla talis Eccleſia reperiri poteſt. Fruſtra igitur de tali, quæ nuſquam eſt in terris, contenditur, quemadmodum & de Platonis ciuitate, quæ nuſquam eſt, fruſtra diſputatur.

Eccleſia ficta.

Sed & Chimeram, hoc eſt, rem mere fictam tum ex Romana tum ex catholica faciunt Eccleſia. Dum Lutherus ait, Papam eſſe rem fictam in mundo, & beſtiæ ſedem negat. Et de Eccleſia, quæ citra ſcripturas aliquid præcipit aut prohibet, dicit, quod talis non ſit Eccleſia, ſed fingat ſe Eccleſiam eſſe.

64 Memini uero, Imperator, me ante octo annos, Luthero hunc in modum de Eccleſia inter multa alia, quæ hic breuitatis gratia omitto, reſpondiſſe. Non eſt Eccleſia, ſicut cryptica ueſtra ſynagoga, occulta. Monſtratur tibi in Concilijs legitimis, quæ uniuerſalem Eccleſiam repræſentant. Monſtratur in Sede Apoſtolica, ut in uertice eius. Monſtratur & in Epiſcopis atq; Præpoſitis ſingularum Eccleſiarum particularium. Niſi forte & Lucæ Euangelium eadem fatuitate dicas occultum ob id, quod ſcribit ad Corinthios Paulus. Miſimus etiam cum

Ioh. Cochleus de autoritate Eccleſiæ lib. 1. c. 6.

2. Cor. 8.

illo fratrem nostrum, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias. Desine igitur os fatuum tam fatue ponere in cœlum. Non est enim Ecclesia Dei occulta, quia non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Si occultæ sunt cryptæ uestræ, quid ad nos? Non sunt Ecclesia Dei, sed speluncæ abominationum &c. Longum foret, Auguste, commemorare hic omnes libros tractatusq; & sermones, quos nostri contra Lutheranos pro Ecclesia scripserunt. Non enim paucæ nec paruæ aut leues sunt eorum contra sanctam Ecclesiam iniuriæ, calumniæ, fraudes, machinationes & blasphemiæ, quæ ne recenseri quidem sine tædio queant, tantum abest ut hic omnes particulatim reprobare intendam, Satis itaq; fuerit, hic summatim de ijs pauca dixisse. *Matth.5.*

Maxima profecto & nobis omnibus, in primis M. tuæ intolerabilis ista eorum iniuria, qua summum Pontificem Antichristum & Romanam Ecclesiam (cuius tu Cæsar aduocatus es & protector supremus) Satanæ synagogam dicunt. Deinde quod schisma & seditionem contra eam excitant, & beatos dicunt omnes qui se ab ea separauerint. Tertio, quod instar latronum & rebelliũ Barrabarum omnem eius Iurisdictionem contemnunt, execrantur & abrogare conantur. Quarto, quod etiam catholicæ per orbem Ecclesiæ adimere præsumunt ius decernendi in Concilijs generalibus, siue de quæstionibus fidei siue de moribus & operibus agatur. Quinto, quod Concilijs uniuersalibus procaciter contradicunt & ius statuendi tollunt, quantum in ipsis est. Sic enim ait Lutherus. Hoc Euangelium (scilicet Attendite à falsis Prophetis) subuertit funditus & radicitus Papatum & omnia Concilia, Quia non tenemur seruare quod Papa præcipit & homines constituunt. Sexto, quod scripturis sanctis uim afferunt, & sanam earum intelligentiam, non ab Ecclesia, cui spiritum ueritatis promisit & dedit Christus, sed à se ipsis aut à damnatis hæreticis accipiendam putant, & gloriantur, apud se, non apud nos esse uerbum Dei. 65 *Decem insignes cõtra Ecclesiã iniuriæ.*

Septimo, quod Ecclesiam pro Ciphra & somnio habent, dum somniant eam in spiritu tantum esse, & nihil posse decernere aut statuere, nisi quod in scripturis iam decretum ac statutum est prius. Ait enim Lutherus, Pia conscientia nouit nec dubitat, Ecclesiam nihil statuere aut ordinare citra aut ultra uerbum Dei. Quæ autem hoc tentat, Ecclesia non est, sed fingit se Ecclesiam esse.

Octauo, quod pastorem Ecclesiæ, Papam, cui Christus in Petro

pascendas oues suas commisit, habent nunc pro Antichristo & Bestia, nunc pro re nihili & ficta. Ait enim Lutherus. Ego uero, etiam si S. Petrus hodie præsideret Romæ, negabo Romanum Episcopum esse Papam. Papa enim res ficta est in mundo, neq; fuit, neq; est, neq; erit, sed fingitur esse. Quare ipsam sedem Bestiæ nego, nihil moratus, sit ne bonus an malus qui in ea sedet. At longe rectius ait S. Ambrosius, quod cum totus mundus Dei sit, Ecclesia tamen domus eius dicatur, cuius hodie (inquit) rector est Damasus. Quisquis ergo rectorem domus Dei non agnoscit, ad domum Dei non pertinet. Et Augustinus contra Gaudentium Donatistam. Adhuc addis furori uestro uerba blasphemiæ, & audes dicere, Ecclesiam catholicam, humanum esse figmentum, cui dicit Deus. Ego sum Dominus, qui facio te. Nos ergo eum sequimur, qui dixit Abrahæ. In semine tuo benedicentur omnes gentes. Propterea tenentes Ecclesiam, quæ dilatatur & crescit per omnes gentes, & per uniuersam terram. Non utiq; figmentum sequimur humanum, sed promissum factumq; diuinum.

Luth. in asser. art. 30. *Ambr. in Paulum. 1. Tim. 3.* *Augu. contra Gauden. lib. 2. c. 25.* *Esa. 54.* *Gen. 22.*

Nono, quod Ecclesiam & Euangelium sibi falso arrogant, nobisq; auferre conantur. Sic enim ait Lutherus. Dei uerbum est super omnia, diuina Maiestas mecum facit, ut nihil curem, si mille Augustini, mille Cypriani, mille Ecclesiæ Henricianæ contra me starent. Et Philippus eius. Cum pro Luthero dicimus, pro sacris uestris, pro Christi doctrina dicimus. Item, Quid Papæ cum Euangelio? Quid Belial cum Christo? quid tenebris cum luce?

Luth. contra regẽ Angliæ. *Phil. in Didy.*

Ibidem. Decimo, quod ritus & ceremonias Ecclesiæ maxime contemnunt & abrogant, nouasq; in despectum Papæ & Ecclesiæ introducunt. Sic enim ait idem qui supra Philippus. Cum in Christianismo cuiusuis arbitrio permitti debeant ceremoniæ, Asiam Episcopus Victor adigere conatus est ad ritus Romani Paschatis, primum, contra Euangelicam sententiam, quæ cuiq; suas ceremonias permittit. Deinde, contra ueterem Asiæ consuetudinem, cuius autores habuerunt Apostolos. Neq; uero simpliciter Asiam adoriebatur Victor, sed nouo & inaudito exemplo, diris & Anathemate. An non uidentur hæc præludia fuisse illius Antichristi, qui Romanam sedem paulo post erat occupaturus? An non erat hoc iniquitatis mysterium, quod etiam Pauli temporibus rem Christianam infestabat? Agebatur de ceremonijs, & agebatur isto Ro. fulmine, deuotionibus seu execrationibus. Quibus

pestibus paulo post Antichristus erat in orbem grassaturus. Quid enim iam à Carolorum temporibus reliquum est præter ceremonias & frigidum illud fulmen? Hæc & id genus multa petulanter & impie Philippus, contra publicas ceremonias.

Constat autem ex historia Ecclesiastica, non solum uictorem Papam, uerum etiam alios quàm plurimos Episcopos & Synodos reprobasse Asianos, qui Iudaico more Pascha celebrantes, ieiunium soluebant eo die, in quem Iudaicum Pascha inciderat. At meliorem fuisse & causam & sententiam Victoris, reipsa compertissimum habemus. Nam & ante & post Victorem ita seruauit uniuersa Ecclesia, demptis paucis minoris Asiæ Episcopis, qui tamen post cesserunt & more Iudaico dimisso, semper dominico die (sicut aliæ Ecclesiæ facere solent) pascha celebrarunt. Refert enim Platyna, in Niceno Concilio constitutum fuisse postea, ut Pascha post XIIII. lunam celebraretur, ne Iudæos imitari uideremur.

66 Histo. eccles. lib. 5. c. 22.

Platyna in uita Victoris Papæ.

Et multo ante Victorem idem statuit S. Pius Papa, nonus à B. Petro, nempe ut die dominico pascha Domini annuis temporibus celebretur, addens & hæc uerba. Licet nos idem pascha prædicto die celebraremus, quia tamen inde quidam dubitabant, ad corroborandas animas eorum. Hermeti (qui doctor fidei & scripturæ effulsit inter nos) angelus Domini apparuit in habitu pastoris, & præcepit ei, ut pascha Domini die dominico ab omnibus celebraretur. Vnde & nos apostolica autoritate instituimus, omnes eadem seruare debere, quia & nos seruamus, nec debetis à Capite quoquo modo discedere. Hæc Pius.

In decretis. De consecra. dist. 3. c. Nosse.

Et in Philippum hunc ait Radinus. Quod si diuus Pius itidem Pont. Max. suasu Hermetis, uiri utique diuino spiritu afflati, idem prius sanxerat, Si Theophilus Palestinæ urbis Episcopus Victori consentiebat, Si demum Nicena Synodus decretum hoc, legi Euangelicæ consonum, damnatis Asiaticorum ritibus, confirmauit. Cur martyrum gesta, quæ per sese alioqui plenissimam deberent fidem facere, impius iste contemnit? Quicquid enim ab istis ipsis in tanta uitæ sanctimonia, pro gubernanda Christiana Repub. aut gestum aut decretum est, totum ad Christi sensum pertinere, sanguinis proprij testimonio comprobarunt. Quod si ambitionis (ut ausus es) maculis, integerrimæ illorum uitæ & gloriosæ mortis splendorem aspergas, quo te nomine

Verba Radini in Philippum.

nomine appellabimus? Sceleratum? at in ista contaminatissima oratione sceleratissimus reperiris. Num schismaticum & hæreticum? occaluisse te ad ista dictitas. Hussitam & Vuiclephensem? iam ea quidem præclara putas. Temerarium? stultum? furentem? beluam? leuiora omnino sunt quàm causa postulat. Hæc & id genus multa rependit huic petulanti Rhetori Radinus, quæ ipse tacendo hactenus, pro ueris agnoscere uidetur.

67 *Luth. contra Catharinum.* Quid uero dicamus, Cæsar, digne pro demeritis, in ducem factionis huius Lutherum, qui etiam sanctissimos & antiquissimos Ecclesiæ ritus, inter XII. facies Antichristi connumerare audet? Etenim sub sexta eius facie comprehendit facierum (ut ait) quandam syluam, scilicet eorum quæ in templis sunt & geruntur. Qualia sunt Horæ canonicæ, quas uocat tumultus carminum, cantus & organa, calices, imagines, uasa consecrata, uela, pallæ ornamenta (quæ sine modo & numero esse quiritatur) lumina, lampades, deniq; sacramenta (quæ aucta à nobis dicit) Confirmatio, Ordo, Matrimonium, extrema unctio, Atq; ut inuidiosius hæc omnia irrideat & contemnat, exclamat in hæc uerba. Deus bone, quanta est hæc una uorago pecuniarum, immo & animarum. Quis hic iura illa ediscat, quæ his rebus religiose administrandis posita sunt? De septima deinde facie sic habet. Septimam faciem appellare licet, uniuersum illum abusum Missæ cum solennibus suis, cum Vigilijs, cum anniuersarijs, fundationibus, sepulturis, & totum negocium pro defunctis celebratum. Octaua est delectus ille ciborum & ieiuniorum. Nonam illam sceleratam facio (inquit) festorum dierum multiplicationem & iniquitatem. Decima est insignis ille Celibatus & Monasticæ castitatis multitudo. Vndecima est Reliquiarum ueneratio. Duodecima & ultima (nam alijs alias commemorandas relinquit) est Chaos illud & ianua patens inferni, incredibili facie spectabilis, Vniuersitates scilicet. Hæc & id genus complura scripsit Rapsaces iste ante annos decem.

68 *Irrisor ceremoniarum Lutherus.* Et anno superiore, quando M. T. Augustæ agebat, adhuc multo plura nominatim commemorando derisit in Teuthonica quadam exhortatione ad Episcopos, ubi post xxxvij. particulas rituum & obseruationum nostrarum (quas fictæ & simulatæ seu apparentis & pharisaicæ dicit esse Ecclesiæ) nominatim rursus quàm breuissime adnumerat Ra-

merat Ra-

merat Rasuras, Casulas, Albas, Suppellicia, Cappas, Templa, Sacella, Altaria, Mappas altarium, lumina, candelabra, imagines, tabulas, imagines Crucifixi, candelas, uexilla, thuribula, baptisteria, monstrantias, ciboria, calices, organa, campanas, aquam benedictam, sal benedictum, herbas & omnis generis escas benedictas. Hæc omnia irridet & à sua reijcit Ecclesia. Deinde adhuc plura superaddit & irridenda & reijcienda, quæ in quadragesima & in diebus festis à Catholicis fieri solent. Qualia sunt, dies cinerum, uelum templi, imaginum uelatio, quadragesimale ieiunium, Letania, Salue regina, confessio, pœnitentia & satisfactio, longæ preces, asinus in die palmarum, eiaculatio (ut ipse uocat) palmarum, cruces è palmis, cogere ad confessionem, cogere ad Sacramentum, Crucem osculari & adorare &c. Cumq; enumerasset huiusmodi obseruationes 50. subiunxit, in hæc uerba. Cessare hic uolo, quis enim possit omnia enumerare tam breuiter?

Hæc Religiosissime Imperator audet sacrilegus iste Apostata tuis 69 temporibus (quæ uictoriosis alioqui triumphis & successibus tuis gloriosissima sunt) in lucem edere, & nominatim tam multa irridere, Quasi non sit M. T. potestas à Deo data in sceleratos Ecclesiæ hostes & desertores animaduertendi, aut quasi gladium frustra portent potestates, aut quasi non teneatur Imperator Ecclesiæ iura, ritus & ceremonias contra hæreticos, qui gladium spiritualem contemnunt, sæculari gladio uindicare. Miratus sum plerunq; Cæsar, Leonistas habuisse lxx. articulos, propter quos etiam publicis legibus in Codice condemnati uidentur. (*C. de hæreticis L. Gazaros.*) Nunc profecto multo magis & mirari & zelo domus Dei dolere cogor uni huic Apostatæ tam multa tuis temporibus contra omnem religionem nostram tamdiu licere impune, cum tamen constet, nullis retro hęreticis tam multa impune licuisse unquam, etiam sub decies minus fortunatis & potentibus quàm Dei dono M. tua est, Imperatoribus. Certe seuerissimæ habentur Christianorum quorundam Imperatorum leges contra hæreticos promulgatæ, partim in Codice legum, partim in Historijs. Et in eandem seueritatem ducunt sacri quoq; Canones & multa benignissimi alioqui & mansuetissimi patris B. Augustini scripta, præsertim quædam ad Bonifacium comitem & ad Marcellinum epistolæ. (*23. q. 4. per totum. Aug. epist. 50.*) Et M. T. tanto maior incumbit necessitas uindicandi à tot iniurijs & blasphemijs Ecclesiam (cuius omnia sacra prophanat, omnia speciosa dehonestat spurius iste

cum affeclis suis)quàm cæteris incumbat uel Regibus uel Principibus, quanto differentius ab illis habes nomen, & eminentiorem in Ecclesia locum & dignitatem. Hæc enim sunt uerba mitissimi patris Augustini in sermonibus super Iohannem.

70 Quando uult(inquit)Deus concitare potestatem aduersus hæreticos, aduersus schismaticos, aduersus dissipatores Ecclesiæ, aduersus exufflatores Christi, aduersus blasphematores Christi, blasphemi non mirentur, quia Deus concitat, ut à Sara uerberetur Agar. Cognoscat se Agar, supponat ceruicem, quæ cum humiliata discederet à domina sua, occurrit ei angelus & dixit. Quid tibi est Agar ancilla Saræ? Cum conquesta esset de domina, quid audiuit ab angelo? reuertere ad dominam tuam. Ad hoc ergo affligitur ut reuertatur. Mirantur autem, quod commouentur potestates Christianæ contra dissipatores Ecclesiæ detestandos. Si non commouerentur, quomodo redderent rationem de imperio suo Deo? Intendat charitas uestra quid dicam, Quia hoc pertinet ad reges sæculi, scilicet Christianos, ut temporibus suis pacatam uelint matrem suam Ecclesiam habere, unde spiritualiter nati sunt. Et paulopost. Nabuchodonosor rex decreuit dicens. Quicunque dixerint blasphemiam in deum Sidrac, Misac & Abdenago, in interitu erunt, & domus eorum in dispersione. Ecce quomodo Rex alienigena sæuit, ne blasphemetur Deus Israel, qui potuit tres pueros de igne liberare. Et nolunt, ut sæuiant reges Christiani, quia Christus exufflatur, à quo non tres pueri, sed totus orbis terrarum cum ipsis Regibus à gehennarum igne liberantur. Hæc Augustinus.

23.q.4.c.quãdo uult.

Gen.16.

Dan.3.

71 Quum igitur manifestissima sint Lutheri & complicum eius facinora, unum è duobus, Imperator, suspicabitur (ut uereor) religiosa posteritas, nempe aut noluisse aut non potuisse te ijs obuiare. Noluisse te nemo dicet, quisquis tuam in Lutherum sententiam Vuormaciæ manu propria scriptam uel uidit uel audiuit, sed & Edictum Imperiale illic promulgatum, & plæraque ex Hispanijs ad Germaniæ Principes M.T. rescripta, & diu desyderatus in Germaniam reditus, uxore liberisque ac tot florentissimis regnis à tergo relictis, & Augustensium Comitiorum gesta publica, denique diuturna hæc permansio, qua nobiscum patientissime perseueras, hæc inquam omnia manifestissime indicant & conuincunt, te non nolle sed uelle religiosa seueritate his

malis

malis obuiare & mederi. Cæterum non potuisse te obuiare, quis obsecro suspicetur aut credat? Quando enim unquam potentiorem Imperatorem habuit Germania? quando magis Deo hominibusq́; dilectum? quando magis rerum gestarum gloria & uictoriarum fœlicitate inclytum? Nonne etiam rebelles isti & à M. T. publice damnati inimici & hostes Ecclesiæ, uirtutes tuas prædicant & ad sydera tollunt? forte tantas habent uires ex seditiosorum & nouas res quærentium colluuie, ut sine graui multorum periculo coerceri non possint. Nescio equidem quantum possit in occulto conspiratio ista, sed scio, multo plures in aperto consentire fidei & religioni tuæ, etiam in Germania, ut de latissimis tuis regnis & prouincijs Catholicis taceam, quàm consentiant coniuratorum sectæ: scio item optimos quosq́; in Lutheranis ciuitatibus desyderare unitatem Ecclesiæ, scio quantum displiceat Magistratibus cordatis ista Lutheranæ plebis insolentia. Nec dubito continuis in occulto morsibus Lutheranorum uexari conscientias, quæ eis dictant ex Paulo, ut omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, quia non est potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt. Itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Qualis igitur potest animus, quæ fortitudo esse in ijs quos eiusmodi suggestionibus terret mens sibi mali conscia? Rom. 13.

Non ista dico, Imperator, ut ad cædes & bella M. T. adhorter, absit. Quid enim proficitur bello & cædibus? nõne maius inde lucrum diabolo accedit, dum interfectis hæreticis nulla restat amplius spes salutis, nullus reditus, nulla conuersio? Et ea est belli malitia, ut multos undicq́; admisceat & inuoluat innocentes. Alia igitur petimus à M. T. remedia, quæ iuris sunt & æquitatis, habes leges, habes iudicia, habes exequendi potestatem. Siste capita factionis iudicio, iudica secundum leges, secundum Canones, secundum scripturas, secundum Euangelium, fac prolatam sententiam in rem transire iudicatam, corripe paucos, ut parcas multitudini. Si uerba non audiunt, audiant stridorem cathenarum & uerberum, gustent squalorem carceris, donec reuertantur ad cor. Iuxta pulcherrimam illam B. Augustini petitionem, quam scripsit ad Donatum Proconsulem Aphricæ. Ex occasione (inquit) terribilium iudicum & legum, ne æterni iudicij pœnas luant, corrigi eos cupimus, non necari. Nec disciplinam circa eos negligi 78.

Aug. in epistolis epist. 127.

 uolumus,

uolumus, nec supplicijs (quibus digni sunt) coerceri. Sic ergo eorum peccata compesce, ut sint quos pœniteat peccasse.

Epistola. 159. Et ad Marcellinum Comitem. Non quod scelestis (inquit) hominibus licentiam facinorum prohibeamus auferri, sed hoc magis sufficere uolumus, ut uiui & nulla parte corporis truncati, uel ab inquietudine insana ad sanitatis otium legum coercione dirigantur, uel à malignis operibus alicui utili operi deputentur. Vocatur quidem & ista damnatio, sed quis non intelligit magis beneficium quàm supplicium nuncupandum, ubi nec sæuiendi relaxatur audacia, nec pœnitendi salutaris medicina subtrahitur? Imple Christiane Iudex pij patris officium, sic succensere iniquitati memineris, ut non in peccatorum atrocitatibus exerceas ulciscendi libidinem, sed peccatorum uulneribus curandi adhibeas uoluntatem. Hæc Augustinus, qui & ad Bonifa-
Epistola. 50. cium Comitem ait. Quomodo reges Domino seruiunt in timore, nisi ea quæ contra Domini iussa fiunt, religiosa seueritate prohibendo atque plectendo?

73 Si ergo seruis Domino, Pijssime Imperator, in timore (ut omnes
Psal. 2. credimus) necessarium tibi est, Apprehendere disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereas (quod absit) à uia iusta, si rebelles & indisciplinatos istos Ecclesiæ dissipatores & transfugas non corripueris iuxta legum publicarum tenorem & secundum diuini uerbi cœlestia oracula quæ habentur Deut. xiij. & xvij. ac Matth. v. & xviij. & in plerisque alijs locis, quos alibi commemoraui. Ad hanc enim necessitatem obligat te Deus, obligat Sedes Apostolica, obligat Imperiale offi-
Rom. 13. cium, obligat Apostolus, ne gladium frustra portes, obligant leges &
C. de hæreticis per totum. Canones, tum etiam propria Edicta tua, obligat denique mater Ecclesia, quæ te Christi cohæredem fecit, & fraterna charitas quæ omnia
23. q. 4. per totum. sustinere iubet, ut lucrifacias tot animas quæ hoc schismate pereunt.

Aug. in Psal. 2 Tunc ergo apprehendis disciplinam, quando præbes te præsidium (ut inquit Augustinus) ac munimentum quoddam aduersus omnia quæ obesse possunt, quando corripis inquietos & consolaris pusillanimes, quorum plærique gementes nunc dicunt, Sperabamus Cæsarem suo aduentu tamdiu desyderato redempturum esse Israel. Quos ego sane adhuc semper bene sperare iubeo, de tua pietate erga Ecclesiam nihil omnino dubitans. Credo enim firmissime, te optima intentione

hanc facere

hanc facere moram, ut hos motus quàm prudentissime simul ac salu-
berrime componas, ut omnes intelligant, cor regis in manu Dei esse. Pro. 21.

Et de M. T. recte dici olim possit, quod de fortissimo & nobilis- 74
simo Rege Asa legitur. Fecit (inquit textus) Asa quod bonum & pla- 2. Para. 14.
citum erat in conspectu Dei sui, & subuertit altaria peregrini cultus, &
excelsa, & confregit statuas lucosque succidit, & præcepit Iudæ, ut quæ-
reret Dominum Deum patrum suorum, & faceret legem & uniuersa
mandata. Et abstulit de cunctis urbibus Iuda aras & phana, & regna-
uit in pace, mortuus autem est anno quadragesimo primo regni sui.
Sic & de filio eius Iosaphat legitur, quod cor eius sumpsit audaciam Ib. c. 17.
propter uias domini, ut etiã excelsa & lucos de Iuda abstulerit, Ideoque
dominus confirmauit regnum in manu eius. Sic etiam longe post il- 4. Reg. 18.
lum fuit in manu Dei cor Ezechiæ regis quando destruxit lucos &
templa Idolorum & excelsa immolationum. Sic cor Iosiæ, quando 2. Para. 34.
combussit omnia uasa quæ fuerant facta Baal, quando deleuit aruspi- & 4. Re. 24.
ces qui sacrificabant in excelsis, quando destruxit ædiculas effœmina-
torum, quando occidit uniuersos sacerdotes excelsorum, & restituit
Phase & cæteras legis ceremonias, quas reges idolatræ (nouis subin-
troductis) aboleuerant. Sic etiam cor Regis Niniuitarum in manu Dei Ionæ. 3.
erat, quando indixit ieiunium & saccum pœnitentiæ ad placandam
iram Dei minantis euersionem ciuitatis. Sic & Assyriorum regis Na-
buchodonosor cor à Deo agebatur, quando statuit legem terribilem, Dan. 3.
ne quis blasphemaret Deum Sidrac &c. Sic denique & Darij regis Per-
sarum cor in manu Dei erat, quando occidit sacerdotes Beli, & tradi- Dan. 14.
dit Idolum eius Danieli, qui ipsum & templum eius subuertit. Sic er-
go & cor tuum, Cæsar, in manu Dei esse speramus, ut destruas ali-
quando (ubi Deus nobis irasci desierit) hos rebellium motus, separa-
tiones & hæreses uniuersas, & manu forti reducas ad Ecclesiæ unita-
tem, ad pacem Christi, ad ouile Petro commissum omnes oues aber-
rantes, ut dicat tandem rebellium unusquisque, Erraui sicut ouis quæ Psal. 118.
perijt, requisiuit me pastor, renui uenire, compulit intrare Cæsar, & re-
uixi. Tu perge obsecro Cæsar in Domino confidens, ut hactenus, &
ipse cor tuum diriget in salutem etiam rebellium & inimicorum tuo-
rum.

Qualis est enim apud eos Ecclesia? qualis cultus? qualis conuersa- 75
tionis disciplina? Talis est profecto eorum Ecclesia, de qua dicere
 queas

Qualis ecclesia Lutheran. *Psal. 25.*

queas. Odiui ecclesiam malignantium, & cum impijs non sedebo. Nullus in ea ordo est sacer, Temerariæ quædam sunt apud eos ordinationes sine ritu solenni, sine unctione sacra, quo quisq; loquacior est & in Papam & omnem Clerum malignantior, eo gratior est seditiosæ plebi, quæ illum Episcopum sibi creat, etiam si oppidulum sit aut pagus. Nec refert, qualis anteacta sit uita eius, dummodo loquax sit & malignus in Catholicos. Sunt itaq; apud eos Episcopi leuissimi quiq; trans fugæ, sacerdotes contra uotum & legem uxorati, Apostatæ scelerati, fures, fornicatores, sacrilegi, poetæ & rhetorculi qui gloriantur se putrido oleo non esse unctos, sicut uncti sunt sacerdotes Papistici (sic enim nos, quicunq; Ro. Ecclesiæ obedienter adhæremus, uocant) Et uxores eorum maxima ex parte sunt Moniales apostaticæ, aut nequissima scorta, quæ procacitate, superbia & uestium ostentatione omnia superant lupanaria. Auditores eorum sunt truces Centauri, qui prædam meditantur ex Ecclesijs nostris, seditiosa plebs & inquieta turba, quæ prætextu libertatis Christianæ omne iugum excutere, omnes leges calcare, omnia facere æqualia desyderat.

Iuuentus item dissolutissima, effrenis & omnis disciplinæ uel immemor uel impatiens, quæ in diem uiuit sine timore Dei, sine reuerentia maiorum, sine morum disciplina, uentri & Veneri citra uerecundiam indulgens, tota hebdomada domi operans aut ocio uacans si opibus abundat, die dominica in templum quidem semel uenit, aliquando, sed non nisi ad conuitiosum in Clerum sui Episcopi fictitij sermonem, & ad cantilenas nouas, quas in despectum Ecclesiæ sectarum duces excogitant, Missarum solennia & horas canonicas uix nominari sustinet. Virgines eorum à Luthero persuasæ, quod nemo caste uiuere queat, nisi per raram & paucis concessam gratiam Dei, disputant inter sese alicubi adeo impudice, ut ne uiri quidem sine pudore uerba eorum referre queant.

Pueri deniq; eorum ita discunt & Cleri & religionis nostræ à parentibus & eorum familijs contemptũ, ut quàm paucissimi uel ad literarum studia uel ad morum disciplinã propensi uideantur. Vnde fit, ut scholæ eorum tantum nõ sint uacuæ, in quibus uix X aut XX pueros nunc reperias, ubi prius reperisses C. CC. aut CCC. In plateis uero uideas miseranda puerorum agmina, in quibus nihil sit uel timoris Dei uel reuerentiæ & disciplinæ, sed ora omnium euomunt maledicta in

Papam

Papam & Clerum quęcunq; à parentibus aut aliꝭs audierunt. Viſo an-tem Monacho mox inclamant, lupus lupus. Et iam multi ſunt apud eos pueri, quibus monſtri loco eſt, uidere Monachum in habitu ſuo, quia nulli ſunt amplius apud eos Monachi. Talis eſt Imperator eorum Eccleſia nouella, in qua nulla eſt ab Apoſtolis ſucceſsio, nulla Ordi-num ſacrorum diſtinctio, nulla obedientiæ aut reuerentiæ erga præ-poſitos cura; quos mira peruerſitate quanto uilius habent uelut com-potores & contabernarios, eos magis amant & laudant.

Quid dicam de nouæ huius religionis cultu? Nulla ibi extruun-tur templa aut altaria noua, uetera uero aut diruuntur funditus aut neglecta ſic ſqualent, ut apud nobiles eorum mundiora uideas equo-rum ſtabula quàm diuorum templa: ſacra uaſa uel direpta ſunt ui uel clam ab Apoſtatis ſublata & conflata: ueſtes ſacræ uerſæ ſunt uel in diploides & tunicas ſacrilegorum uel in thoralia & collaria aut dex-tralia meretricum aut perfidarum Monialium. Nulla ſunt apud eos ſacrificia, nullæ miſſarum oblationes, nullæ horæ canonicæ, nulla ie-iunia, nullæ ſanctorum celebritates annuæ, nullæ eccleſiarum dedica-tiones, nullæ imaginum & reliquiarum uenerationes, nullæ ſupplican-tium proceſſiones, nulla Crucis uexilla, nulla in templis luminaria aut candelabra. Breuiter nihil eorum, quæ ego ex Luthero ſupra recitaui triplici diſtinctione, quarum prima continebat particulas xxxvij. ſe-cunda xxvij. tertia l. quæ in unam ſummam redactæ faciunt. cxiiij. ut etiam Leoniſtarum numerum, qui. lxx. habent damnatos articu-los, excedant. Et tamen longe plura connumeraturus fuerat Luthe-rus, niſi breuitatis gratia omiſiſſet. Ait enim ea ſe duntaxat comme-moraſſe, quæ in eccleſiꝭs Parochialibus ſunt & geruntur, longe autem plura fore, ſi connumerentur ea quæ in Cathedralibus & Collegiatis eccleſiꝭs, & quæ in Monaſteriꝭs & fratrum mendicantium Conuenti-bus, in Curiꝭs item Officialium & in Vniuerſitatibus habentur & fiunt. 76

Qualis religionis cultus apud Luther.

Luth. in exhortatione ad Epiſcopos.

Nunc expende Imperator, quid Deus, quid Papa, quid aliꝭ Reges ac Principes, quid poſteri denique de nobis Germanis ſentire queant, ſi tam multa tamq; pia, caſta, ſancta & antiqua ſanctorū patrum & ma-iorum noſtrorum inſtituta Eccleſiaſtica ſinātur per teterrimas ex leuiſ-ſimis hominibus conflatas ſectas iſtas in Germania ſubuerti, mutari, tolli, abrogari tanquam impia & Euangelio contraria, quaſi omnes 77

maiores nostri in talibus Ecclesiæ institutis errauerint ac impie contra Deum & Christum eius egerint, proinde nunquam uere Christiani fuerint. Quid dicet (obsecro) posteritas, ubi senserit, tuo sub Imperio sic defecisse scholas & studia literarum? Nisi enim huic malo in tempore prospexeris, post paucos nimirum annos nō habebunt Germani neq; Theologos & Philosophos in Vniuersitatibus, neq; pastores & Concionatores in ecclesijs, neq; Rectores & Pædotribas in scholis, neq; in aulis & palatijs Principum Consiliarios, quia literarum scholæ nullos pene habent discipulos.

78 De conuersatione autem istorum Euangelicorum hominum, qui factis diabolici potius quàm Euangelici reperiuntur, uerissimum sane uidetur, quod Tertullianus de hæreticis in genere scripsit. Quàm futilis (inquit) quàm terrena, quàm humana est hæretica conuersatio, sine grauitate, sine autoritate, sine disciplina, ac fidei suæ congruens. Ordinationes eorum temerariæ, leues, inconstantes, nunc Neophytos conlocant, nunc sæculo obstrictos, nunc apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia ueritate non possunt. Nusquam facilius proficitur quàm in castris rebellium, ubi ipsum esse illic promereri est. Et infra. Adeo & de genere conuersationis qualitas fidei æstimari potest &c. At multo breuius clariusq; uitam eorum explicat propheticus sermo Psal. xiij. Qualis enim ea est conuersatio, in qua laudantur manifesta sacrilegia, nuptiarum nomine cohonestantur flagitiosissima Monialium stupra, contemnitur sacra uirginitas, & sponsis Christi præferuntur raptus Monasticarum, ubi placet ebrietas, displicet sobrietas, exibilatur ieiunium, exufflatur sacra unctio, quæritur sola fides, suggillantur bona opera, negantur merita iustorum, ficta prædicatur charitas, falsa spes, uana præsumptio, licita rescinduntur matrimonia, admittuntur illicita, ubi deniq; ius fasq; despicitur, rapiuntur & possidentur aliena.

Tertul. de præscrip. hæret.

79 Talis est Imperator noua nouarum sectarum Ecclesia, quam Philippus iste Luthericus ueram Ecclesiam esse contendit, & congregationem sanctorum dicendam putat. In qua quicquid libet licet, & omnia sunt libera. Eiusmodi enim Christiani ab omnibus omnium hominum legibus exempti & liberi esse uolunt, Nec mortale esse peccatum sinunt, siquis uel Ecclesiæ uel maiorum præcepta transgrediatur. Quasi non queant uel Prælati nostri uel Ecclesia mater nostra, nobis aliquid sub obedientiæ debito præcipere. Quasi peccatum non sit inobedientia.

Luth. in Cap. Babyl.

obedientia. Quasi non dicat Paulus Rom. xiij. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. At nemo damnatur nisi propter peccatum mortale. Hic igitur error, quo ius præcipiendi tollitur & abrogatur Prælatis, Concilijs & Ecclesiæ, fons & origo est omnium pene rebellionum & transgressionum, quæ ab hæreticis contra Ecclesiæ ritus & ceremonias fiunt. Cum tamen sint quàm manifestissima uerba & Christi Matth. xviij. & Pauli. ij. Thessa. iij. Hic enim ait. Denunciamus uobis fratres in nomine domini nostri Ihesu Christi, ut subtrahatis uos ab omni fratre, ambulante inordinate & non secundum traditionem quam acceperunt à nobis. Ille uero sic. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. Iam satis constat, quod talis subtractio & excommunicatio non debet fieri pro leui & ueniali, sed pro graui & mortali peccato.

Hæc sunt CAROLE Auguste, quæ contra tergiuersantis & malignantis huius calumniatoris Apologiam de Ecclesia dicere uolui, non recriminandi quidem libidine, sed pio admonendi studio, ne credas fraudulento huic deceptori & uirulento Ecclesiæ dissipatori, qui falsis suasionibus probare nititur, apud suos non [illegible] nos (qui Ro. Ecclesiam & maiorum nostrorum ac sanctoru[illegible]m instituta sequimur & amplexamur) ueram & Catholicam esse Ecclesiam. Nec existimet obsecro M. T. hanc inter nos contentionem, ceu rem futilem & parui momenti, iudicio tuo indignam. Hæc enim controuersia est de uniuersa fide & salute nostra. Si enim recte sentit Philippus, necessarium profecto est, & nos & omnes patres nostros (quod absit) in æternam abire damnationem, quia ueram Christi fidem & Ecclesiã, quam Lutherani sibi arrogant, non tenemus, sed uelut impiam & hæreticam damnamus & anathematizamus, & sequimur Ecclesiam Romanam, sicut fecerunt tot sæculis maiores nostri, quam Lutherani Antichristi synagogam dicunt. 80 *Epilogus.*

Si uero nos recte sentimus, & ijs potius credendum est quos supra in testimoniũ ueritatis adduximus, quàm huic Philippo, necessarium profecto est, ut non modo omnes Lutherani, uerumetiã omnes Anabaptistæ, omnes Sacramentarij, omnes Suermeri, omnes omnium sectarum (quæ cum Ro. ecclesia non conueniunt) homines, ne uno quidem excepto, fiant rei mortis æternæ, eantq́ post hanc uitam mox recta in ignem æternum, iuxta illud Iob. xxj. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Quid ita? quia errant in fide, de-

ſerunt & ſcindunt Eccleſiam, relinquunt charitatem, maledicunt ſummo Pontifici, uero & legitimo paſtori ouium Chriſti. Hæ maculæ, ne ſanguine quidem (teſte Cypriano) dilui poſſunt. Quiſquis enim charitatem in unitate Eccleſiæ non habet, nihil eſt. j. Cor. xiij. quia multitudinis credentium erat cor unum & anima una Act. iiij. Hæc unitas & adunatio præfulget in cœlo (ut ait Albertus Magnus, quem Rhetor iſte ita ſtolidum facit, ut nulla ſit in toto corpore mica ſalis) in naturis oſtenditur, in operibus Chriſti exemplificatur, in diuinis legibus præcipitur, & in toto Chriſti corpore myſtico obſeruatur.

Cyp. de ſimpl. Prælatorum.

Albertus mag. de officio miſſæ tract. 3. c. 5

Phil. in Didy.

Ioh. 10.

Vnum ouile Chriſti et unus paſtor.

Certe Chriſtus dominus & ſaluator noſter ait. Et fiet unum ouile & unus paſtor, Ouile eſt Eccleſia, Paſtor ouium B. Petrus, non Lutherus, non Melanchthon, non Zuinglius, non alij ſectarum duces, Ioh. xxj. Petre amas me plus his, paſce oues meas. Petri igitur oues eædem ſunt quæ Chriſti, qui ergo ſedem & Eccleſiam Petri non ſequitur, nec cum eo colligit, is nec Chriſtum ſequitur, ſed diſpergit Matth. xij. Chriſtus autem mortuus eſt non ſolum pro gente, ſed ut filios Dei qui erant diſperſi, congregaret in unum Ioh. xj. Huius Imperator ſequere obſecro [illegible]mplum, & da operam, ut ſecundum uirtutem & potentiam ac po[illegible]uam, à Deo Opt. Max. in ædificationem & in ſalutem generis humani tibi conceſſam, diſperſas Chriſti oues congreges fœliciter in unum, ut uigore potentiæ & M. T. opitulante diuina gratia, ad nos redeant, qui à nobis exiuerunt, uno eodemq; baptiſmo Eccleſiæ nobiſcum in Chriſto regenerati, qui nunc damnabili diſſidio foris baptizant paruulos ſuos, non ad uitam (ut anxie metuo) ſed ad mortem ſempiternam, niſi ad Eccleſiæ gremium, unde exierunt, reuertantur. Moueat igitur M. tuam ſaltem paruulorum ac tot milium puerorum infœlicitas, qui neſcientes foris perituri ſunt ſimul cum parentibus ſuis, niſi Pietas tua eos uel inuitos in Chriſti ouile reducat. Dixi.

LIPSIAE EXCVDEBAT NICOLAVS FABER, MENSE IVNIO ANNO M. D. XXXIIII.

Steuchi

Adversus Luthera-
nos

S